



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Tractatus I. De Actibus Humanis, & Conscie[n]tia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**



THEOLOGIÆ  
MORALIS  
BREVI SIMULQUE CLARA  
METHODO COMPREHENSÆ  
TRACTATUS I.  
DE ACTIBUS HUMANIS.  
ET CONSCIENTIA.

I. **Q**uoniam à DEO, Authore & Conditoro suo, homo ad supernaturalem Beatitudinem ordinatus esse dignoscitur, cum primis necesse est media illa investigare, quibus ad præparatam sibi æternam Beatitudinem pervenire, Deumque tanquam ultimum Finem suum apprehendere valeat. Cùm igitur juxta illud Davidicum, Psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum*, aliâ ratione id fieri nequeat, nisi per exercitacionem actuum bonorum, fugamque malorum: hinc in præsentis utilissimo, omnibusque, præsertim Confessariis, scitu summè necessario Tractatu, quem *De Actibus Humanis & Conscientia* inscribunt, ea consideranda occurrunt, quibus homo in suis actionibus ita possit dirigi, imò & alios dirigere, ut tandem exercitacione bonorum actuum, fugamque malorum, præparatam sibi Gloriam æternam consequi mereatur.

A DI-

# DISTINCTIO PRIMA.

## De Voluntario, & Involuntario.

### QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium?

Voluntarium accipitur tripliciter.

2. **C**ONCL. I. Voluntarium generatim tribus modis accipitur. Et primò quidem *Voluntarium* illud dicitur, quod fit absque obligatione præcepti: sic Religiosi præter Officium Divinum quandoque dicuntur recitare quasdam preces voluntarias, id est, absque obligatione dicendas. Verùm de Voluntario taliter accepto hic non loquimur. Secundò *Voluntarium* sumitur latissimè, prout idem est, ac *Spontanèum*: quomodo omne illud dicitur Voluntarium, quod neque vi, neque ignorantia fit, procedit tamen ab aliquo principio intrinseco cum prævia cognitione. Vel clariùs, Voluntarium, prout coincidit cum Spontaneo, dicitur illud, quod procedit à potentia appetitiva ex prævia cognitione objecti. Et hoc modo Voluntarium convenit brutis, utpote quæ agunt sponte ex inclinatione appetitûs sensitivi, præviâ cognitione sensitivâ. Sed & de Voluntario tam largè accepto, ac prout etiam convenit brutis, hic sermo non est.

Voluntarium strictè quid?

3. Tercio modo *Voluntarium* sumitur strictè ac prout illud derivatur à voluntate, & competit soli Naturæ rationali habenti voluntatem. Et hoc modo Voluntarium dicitur illud, quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva. Dicitur, quod procedit à voluntate: quia aliud est Voluntarium, aliud verò Volitum: nam pluvia, vel serenitas opportuna, est quidem ab agricola volita, non tamen ipsi voluntaria; utpote cum non procedat dicta pluvia, vel serenitas, ab ejus voluntate tanquam effectus ipsius; quamvis sit objectum suæ voluntatis, seu volitum ab ipsa. Et de Voluntario taliter accepto loquimur in præfenti.

Voluntarium strictè dividitur in perfectum & imperfectum.

4. **C**ONCL. II. Voluntarium hoc tertio modo sumptum variè dividitur; & primò quidem in perfectè Voluntarium, & in Voluntarium imperfectè. *Voluntarium perfectè* dicitur illud, quod procedit à voluntate ex prævia cognitione perfecta, seu deliberata objecti; quomodo peccatum, præsertim mortale, debet esse

esse voluntarium. *Voluntarium imperfectum* econtra est explicandum: quomodo motus voluntatis primi censentur voluntarij, seu potius semivoluntarij, eò quòd procedant à cognitione imperfecta, seu indeliberata.

5. Deinde Voluntarium dividitur in directum, & indirectum. *Directum*, seu directè Voluntarium dicitur illud, quod per se ac positivè procedit à voluntate, in quantum agens est: quo modo actus voluntatis sive elicti, sive imperati, censentur esse voluntarij. *Indirectè* verò illud dicitur *Voluntarium*, quod procedit à voluntate, in quantum non agit, cum tamen agere posset, ac (loquendo de Voluntario culpabili) etiam deberet: sic submersio navis censetur gubernatori ejus indirectè voluntaria, quando desistit à gubernaculo, mediante quo potuisset, ac debuisset impedire submersionem navis. Directum, & indirectum.

6. Ex quo patet, Voluntarium directè exerceri per actum positivum voluntatis, Voluntarium verò indirectè per omissionem actus, quem quis non solum potuit, sed (si sit sermo de culpabili voluntario) debuit habere. Siquidem tunc solum effectus censetur indirectè, simulque culpabiliter voluntarius, quando quis non agit, cum tamen possit & debeat agere: si enim gubernator navis non possit navem dirigere, vel quis alius adsit, cui gubernatio navis non est commissa, non imputabitur ei submersio ipsius. Veruntamen notanter additum fuit, *indirectè, simulque culpabiliter voluntarius*: simpliciter enim & absolutè ad voluntarium sufficit, ut quis deliberatè omittat opus, quod facere seu non omittere poterat: neque ad hoc requiritur præceptum seu obligatio faciendi id, quod omittitur; quamvis ejusmodi obligatio requiratur, ut omissio illa sit culpabilis, & peccaminosa. Et quomodo exercetur?  
Guiliel. Herincx *part. 2. Summae Theologiae, Tract. 2. disp. 1. num. 19.*  
& alij.

7. Ulteriùs Voluntarium dividitur in Voluntarium secundum se, & in Voluntarium in sua causa; sive (ut alij loquuntur) in formaliter Voluntarium, & in virtualiter Voluntarium. *Voluntarium secundum se* (quod & *Voluntarium formale* nuncupatur) dicitur illud, quod à voluntate ex proprio ac formali proposito fit, ac dependet: sic est voluntaria præsens lectio. *Voluntarium in sua causa* (quod & *virtuale* appellatur) illud censetur, quod non in se, sed solum in sua causa cuius est voluntarium, in quantum voluntas, etsi non intendat effectum, vult tamen causam illius effectus; unde & hic saltem virtualiter, seu in sua causa censetur esse

esse voluntarius: sic illi, qui voluntariè se inebriat, censentur esse voluntariæ, saltem virtualiter, rixæ illæ, vel blasphemæ, quas in tali ebrietate committit, si prius novit, in ebrietate se solere rixari, vel blasphemare.

Voluntarium interpretativum.

8. Huc additur *Voluntarium interpretativum*; estque illud, quod adesse præsumitur, seu interpretatur ex aliquo signo extrinseco, positivo vel negativo: sic in Foro externo, *Qui tacet, consentire videtur*, juxta Reg. 47. Juris in 6. Similiter Religiosus suo Superiore absente, & urgente necessitate, rationabiliter ac honestè quandoque quidpiam agit ex consensu ejus interpretativo; sive rationabiliter præsumpto, dum ex alijs actibus prudenter interpretatur, & præsumit, Superiorem suum, si interrogaretur, in talibus circumstantiis haud futurum iavicum. Et hoc posterius aliqui appellant *Voluntarium interpretativum conditionatum* Superioris. Nihilominus *Voluntarium interpretativum*, præsertim in malam partem acceptum, non rarò confunditur cum *Voluntario indirecto*, & in causa; & sic juxta satis communem modum loquendi, si quis proiciat sagittam ad occidendam feram prævisò periculo occidendi hominem, si sequatur homicidium, censetur occisio isthæc hominis eidem voluntaria in sua causa, indirectè, atque interpretativè, quamvis non fuerit intenta & directè volita.

## QUÆSTIO II.

Quando effectus, veluti indirectè & in causa voluntarius, imputetur ad culpam?

Quæ requiruntur, ut effectus, veluti in causa voluntarius, imputetur ad culpam?

9. **C**ONCL. I. Ad hoc, ut effectus virtualiter atque in causa censeatur esse voluntarius, & cuiusdam imputetur ad culpam, omnino requiritur, quòd operans adverterit periculum secuturi effectus ad positionem illius causæ. Ita communitatis. Ratio est: quia si quis nullam de effectu secuturo habuit advertentiam, tunc talis effectus nullo modo foret prævisus, ac proinde neutiquam voluntarius, sed potius ex naturali inadvertentia proveniens: nam juxta illud tritum Philosophorum, *Nihil est volitum, quin præcognitum*.

Secundo Jaris,

10. Infertur proinde I. Quòd, quamvis effectus illi pravi, qui frequenter accidunt in ebrietate, voluntariè se inebriantibus im-

Quaest. II. Quando effectus, &c. imputetur ad culpam?

imputentur ad culpam, eò quòd potuerint prævideri, ac proinde sint voluntarij saltem virtualiter & in sua causa: nihilominus illi eventus, qui rarò contingunt, nec fuerunt prævisti, ad culpam non imputentur. Et hac de causa S. Augustinus *lib. 22. cap. 44. contra Faustum*, excusat ipsum Loth ab incestu, quem ebrius admisit, ut legitur *Gen. cap. 19.* eò quòd non præviderit, incestum ex ejus ebrietate secuturum.

Loth, quemodò excusetur ab incestu?

11. Infertur II. Circumstantias invincibiliter ignoratas, non imputari ad culpam; quia non fuerunt prævistæ in causa. Sic Jacob Patriarcha non peccavit ingrediendo ad Liam, *Gen. 29.* quia bonâ fide credebat, se ingredi ad Rachel conjugem suam. Econtrà verò sequitur, eum, qui scienter & voluntariè occidit mulierem gravidam, censeri etiam occidere infantem, licet hoc expressè non intendat. Ratio est: quia mortem infantis secuturam prævideri poterat ac debebat, hoc ipso, quòd sciebat, foeminam illam esse gravidam: & idem fit in aliis hujusmodi.

Alia corollaria.

12. CONCL. II. Nihilominus sola advertentia effectus pravi ex actione libera secuturi non semper sufficit, ut is cuiusdam imputetur ad culpam; & hoc tunc verificatur, quando ejusmodi actio cæteroquin licita est, & necessaria, vel utilis; simulque effectus ille pravius non intenditur, neque in eo habetur complacencia. Ita Doctores communiter, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disp. 45. n. 4.* Ratio est: quia effectus per accidens, ac præter intentionem subsecutus non imputatur ei, qui jus suum prosequitur.

Quæ excusare soleant, ne effectus pravius, veluti in causa voluntarius imputetur?

13. Infertur proinde cum Doctoribus communiter, quòd expertus se pollui equitatione, tamen absque periculo consensus, non teneatur pedester incedere, & ab equitatione desistere. Ratio est: quia equitatio est res utilis, neque causa per se & suapte naturâ talis effectus pravi, seu foeditatis. Infertur ulterius, quoties pollutio sequitur præter intentionem ex causa aliqua necessaria, vel utili corpori; ut est cibus, & potus moderatus; aut animæ, ut orare, studere; vel utili alijs, prout est audire Confessiones, &c. nullam esse culpam, non desistere à causa ista, quamvis inde præter intentionem prævideatur pollutio secutura. Ratio, præter hætenus dicta, ulterior est: quia talis patitur pollutio nem potius, quàm agit.

Corollaria

14. Dicitur notanter in Conclusionem, *quando talis actio cæteroquin est licita, & necessaria, vel utilis.* Siquidem quando absque urgente necessitate exercetur actio ex sua natura turpis, & per se

Explicatur amplius Conclusio.



tendens ad procurandam ejusmodi foeditatem, ut sunt tactus impudici, &c. tunc non vitare ejusmodi causas, est peccatum mortale, & censetur ipsamet pollutio esse voluntaria in sua causa: & servatâ proportione idem dicendum de similibus. Additur etiam in Conclusionem, *similique effectus ille pravus non intenditur, &c.* Nam si effectus talis pravus, ut puta pollutio, ab aliquo intenderetur, vel quis in ea subsequente deliberatè delectaretur, sibique complaceret in ea, certum est, committi peccatum ratione hujus pravæ intentionis, vel complacentiæ.

Quando imputetur effectus, veluti indirectè voluntarius?

15. CONCL. III. Ad hoc ut effectus ad liberam omissionem alicujus actûs consequens cuiquam imputetur ad culpam, veluti indirectè voluntarius, præter advertentiam illius effectûs pravi ex sua omissione secuturi, requiruntur insuper tres aliæ conditiones; videlicet, quòd possit agere, agendoque illum effectum impedire, & non agat, & tamen teneatur agere. Ita D. Thomas 1. 2 q. 6. art. 3. & communis. Ratio primæ conditionis est: quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest; siquidem *nemo potest ad impossibile obligari*, juxta Reg. 6. Juris in 6. Ratio secundæ conditionis, quòd nempe quis non agat, cum agere possit, patet ex eo: quia in omissione talis actûs consistit ratio Voluntarij indirecti. Ratio tandem tertiæ conditionis, quòd quis teneatur agere, patet ex eo: quia nisi hoc requireretur, Deo (quod absit) imputarentur omnia peccata totius Mundi, cum poruisset ea impedire non creâdo genus humanum, vel alijs modis, quamvis ut Auctor naturæ, atque universorum Dominus, id facere non teneatur. Similiter submersio v. g. navis imputaretur illi, cui navis gubernatio non fuit commissa, ac proinde tempore naufragij non fuit præstans; quod utique est absurdum.

Quando quis censetur teneri ad tollendam causam peccati?

16. Quæres, quando quis censetur teneri ad tollendam causam peccati, vel impediendum malum, ita ut hoc facere intermittenti censetur subsequens effectus malus fuisse indirectè voluntarius, ac proinde ad peccatum imputetur? Resp. Id attendi debere ex varijs præceptis obligantibus. Quandoque enim quis tenetur ad hoc ex præcepto Justitiæ, quia videlicet ex officio ad ejusmodi malum impediendum est obligatus: quomodo gubernator, cui cura navis est commissa, tenetur pro viribus impedire navis submersionem: & similiter Prælatus subditorum peccata. Quandoque autem ejusmodi obligatio consurgit solum ex præcepto Charitatis, quo quilibet tenetur proximo suo in certis casibus: quandoque verò ex præcepto alterius Virtutis;

cutis; prout in singulis Præceptorum materijs passim solent explicare Theologi.

## Q U Æ S T I O III.

Quo tempore Peccatum tum commissionis, tum omissionis, indirectè seu in causa duntaxat voluntarium, contrahatur?

17. **A**Dvertendum, per *Peccatum commissionis* intelligi illud, quod fit contra aliquod præceptum negativum, seu quidpiam fieri prohibens: ut est furtum, adulterium, homicidium, quæ pugnant contra illa præcepta Decalogi: *Non furtum facies: Non machaberis: Non occides, &c.* *Peccatum omissionis* e contra est illud, quod fit contra præceptum affirmativum, seu quidpiam fieri præcipiens: ut est omisio Missæ die Festo audiendæ, & sic de alijs loquendo. Hoc prænotato,

Peccatum  
commissionis,  
& omissionis,  
quid?

18. Sensus hujus Quæstionis est, quo tempore incurratur Peccatum commissionis, vel omissionis, indirectè & in causa duntaxat voluntarium. Ut si quis ante ebrietatem benè prævideat, se in ebrietate commissurum homicidium, vel adulterium, & nihilominus scienter se inebriet usque ad privationem usûs rationis, sicque committat homicidium, vel adulterium; Quæstio remanet, an talis peccet peccato homicidij, vel adulterij eo tempore, quo scienter dedit causam per ebrietatem tali peccato, vel potius tunc, quando in ebrietate actualiter committit homicidium, vel adulterium. Et ratio dubitandi est: quia tempore actualis homicidij, vel adulterij, ipse per ebrietatem privatus est usu rationis, uti supponitur; ergo non videtur pro eo tempore posse actualiter peccare.

Sensus pro-  
positæ Quæ-  
stionis de-  
claratur  
exemplis.

19. Similiter, si quis scienter dedit alteri venenum, non nisi post aliquot hebdomadas mortem allaturum; rursus quæritur, an talis peccet peccato homicidij pro eo tempore, quo dedit venenum, vel potius pro tunc, quando actualiter sequitur homicidium, seu mors proximi. Et ratio dubitandi est: quia ille, qui dedit venenum, potest jam de peccato suo esse contritus tempore actualis mortis subsecutæ, ac velle mortem proximi impedire, nec tamen amplius posse: atqui nemo videtur posse actualiter peccare in eo, quod vitare non potest.

Aliud ex-  
emplum de  
dante alteri  
venenum.

20. In-



Et de dor-  
miente, do-  
nec sequa-  
tur omissio  
Missæ ac  
de Clerico,  
projiciente  
Breviarium  
in mare.

20. Insuper, si aliquis manè voluntariè se inebriet, benè prævidens securam omissionem Sacri audiendi die Festo; vel tam diu dormiat, aut tergiverfetur domi, prævidendo periculum non audiendi Sacrum die Festo, donec tandem actualiter sequatur omissio Sacri; aut si Sacerdos navigaturus voluntariè proiciat Breviarium in mare, oprorè prævidens, inde se reddi impotentem ad recitandum Breviarium per multos dies, & hujusmodi. Quæritur, inquam, quo tempore tales peccent? an videlicet solum pro tunc, quando scienter dederunt causam tali omissioni, vel an insuper peccent adveniente illo tempore, quo currit præceptum audiendi Missam, aut recitandi Breviarium, non obstante, quòd tunc talis amplius Missam audire, vel Breviarium recitare non possit? Et hoc idem de innumeris aliis casibus quæri potest.

Resolutio  
Quæstionis

21. CONCL. I. In his, & similibus casibus, Peccatum commissionis, aut etiam omissionis, indirectè vel in causa duntaxat voluntarium, contrahitur mox in ipsa appositione causæ, vel impedimenti, quæ fuit in libera hominis potestate; non autem amplius tempore subsequenti, quo sequitur v. g. mors alterius veneno causata, aut omissio Sacri, vel recitationis Breviarij, si tunc reverà adfuit impotentia impediendi mortem alterius, vel Sacrum audiendi, &c. Ita Scotus 2. dist. 42. Mastrius lib. 2. Sent. disp. 6. n. 132. estq; communis sententia Doctorum, paucis exceptis. Ratio hujus Conclusionis desumitur imprimis ex rationibus dubitandi proxime allatis. Accedit, quòd tempore appositionis causæ mortis proximi per porrectum venenum, jam sit volitum homicidium saltem virtualiter, & in sua causa; & similiter tempore appositionis impedimenti audiendi Missam die Festo, vel recitandi Breviarium, omissio hujus etiam indirectè, ac in sua causa jam est volita; ergo tunc contrahitur tale peccatum, sive commissionis, sive omissionis, non autem tempore subsequenti, si reverà tunc adfuit impotentia actum prohibitum, actualis v. g. homicidij subsequenti, impediendi, vel actum præceptum Missæ audiendæ ponendi.

Notabilis  
declaratio  
Conclusio-  
nis.

22. Dicitur notanter, si tunc reverà adfuit impotentia impediendi mortem alterius, &c. Siquidem certum est apud omnes, atque indubitatum si tunc sit in libertate ac potestate hominis, adhuc impedire actum prohibitum, v. g. homicidium veneno porrecto causatum, nec tamen impediat, etiam tempore actualis mortis proximi subsequenti committi, vel potius continuari & consummari

mari peccatum homicidij; cum adsit libertas sufficiens, atque voluntarium, ad contrahendum peccatum etiam pro eo tempore. Et similiter, si tempore præcepti audiendi Missam adsit adhuc potestas & libertas ipsam audiendi, & tamen quis eam audire negligat, etiam tunc committitur peccatum omissionis externæ: siquidem tunc prava voluntas omittendi actum præceptum, opere externo consummatur, ac perficitur. Cæterum data Conclusio loquitur in casu veræ impotentia, actum prohibitum ex postfacto impediendi, vel actum præceptum ponendi; & ait, tunc ejusmodi peccatum contrahi duntaxat in ipsa appositione causæ vel impedimenti, utpote quæ fuit in hominis potestate.

23. Nec obstat, quòd quando quis posuit impedimentum audiendi v. g. Missam, nondum currebat præceptum Missæ audiendæ; ac proinde non videatur posse pro tunc tale peccatum omissionis Missæ contrahi. Resp. enim, quòd licet tunc præceptum non obligarit ad ponendum actum auditionis Missæ, obligabat tamen ad non ponendum impedimentum exercendi talem actum pro tempore debito: hoc enim præcepto non solum præcipitur ipsa auditio Missæ, sed etiam, ne voluntariè & absque legitima ratione ponatur causa impeditiva illius: sicuti similiter præceptum non occidendi hominem, nedum prohibet actuale homicidium, sed etiam, ne ponatur probabilis causa ipsius. Et per hoc patet ad rationes dubitandi, ab initio Quæstionis propositas.

Solvitur  
objectio.

24. Dices Ut Actus prohibitus, vel ommissio actus præcepti, sit formaliter peccatum, sufficit voluntarium indirectum, aut in causa; ergo illud etiam tempore subsequenti contrahitur. Consequentia probatur. Tum quia jam adest sufficiens voluntarium, videlicet indirectum, aut in causa. Tum quia tunc completur, sive consummatur peccatum actualis v. g. omissionis Missæ, aut homicidij veneno causati. Tum tandem, quia alioquin non esset necesse, confiteri tales actus externos, aut omissiones ex priori data causa necessariò subsequetas, & in se non liberatas; quod videtur absurdum, & contra Decretum Alexandri VII. ejusque Propositionem 25. Resp. negando consequentiam. Ad ejus primam probationem dicitur, adesse quidem sufficiens voluntarium, ut peccatum formaliter contrahatur pro tempore appositionis causæ, sive impedimenti, utpote quæ fuit in libera hominis potestate: non autem pro tempore subsequenti, si tunc verà (uti supponit Conclusio) adfuit impotentia ponendi actum

Alia objectio, ejusque solutio.

B

præ-

præceptum, vel impediendi actum prohibitum. Ad alteram probationem claritatis gratiâ distinguitur assumptum: completur, sive consummatur tunc peccatum actualis v. g. omissionis Missæ, vel homicidij veneno causati, duntaxat physicè, sive in genere entis, conceditur: completur etiam moraliter, sive in genere moris, negatur; eò quòd tunc ommissio actûs præcepti, vel eventus actûs prohibiti, non amplius subsit libertati ac potestati hominis, sicque secundum se non sit capax malitiæ moralis. Ad ultimam probationem responderetur, in tali casu per se loquendo satis quidem esse, si in Confessione sufficienter explicetur ejusmodi libera positio causæ, sive impedimenti, utpote quæ sola supponitur fuisse in libertate, sive potestate hominis: per accidens tamen, sive quia alioquin non sufficienter explicaretur illa libera positio causæ, aut impedimenti, sive ob annexam Censuram, vel reservationem actûs opere externo consummati, etiam quandoque requiri, ut explicetur ipsemet actus externus. Porro Decretum Alexandri VII loquitur de peccato externo, quod tempore actualis commissionis suberat potestati ac libertati hominis, ut suo loco (a) dicitur.

(a) *Tract.*1. *Dist. 2.*

# 30.

Pœnæ, vel inhabilitates peccatum in causa duntaxat voluntarium, quando incurran-  
tur?

25. CONCL. II. Nihilominus ad incurrendas pœnas, vel inhabilitates, quæ sive Jure Ecclesiastico, sive Civili, in perpetrantes certa crimina sunt itaturæ, regulariter loquendo non sufficit sola appositio causæ talis criminis, sed requiritur, ut tale crimen opere externo consummetur. Ita Doctores communiter. Sic v. g. si quis alteri machinetur mortem veneno porrecto, quamvis mortaliter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, si alterius mors actualis non subsequatur. Similiter qui conatur percutere Clericum, si ipsum, utpote aufugientem, non percusserit actualiter, non incurrit excommunicationem latam in percussores Clericorum: & idem fit in alijs similibus. Ratio horum generalis est: quia leges pœnales sunt strictè interpretandæ; simulque earum verba debent intelligi cum effectu, arg. c. *Hæc autem verba. de pœnit. distinct. 1.* junctâ Glosâ *ibidem*: nam sola voluntas, seu conatus non solet per Leges humanas puniri sine effectu, nisi secus in ipsamet Lege exprimatur; prout exprimitur loquendo de crimine læsæ Majestatis, l. *Quisquis. C. Ad legem Iulianæ Majestatis*; & notat communis Theologorum, & Canonitarum.

QUE-

# QUÆSTIO IV.

## An Violentia, Metus, & Concupiscentia causent Involuntarium?

26. **A**dvertendum, quòd Involuntarium dividatur in Involuntarium simpliciter, & in Involuntarium duntaxat secundum quid. *Involuntarium simpliciter* dicitur illud, quod voluntas simpliciter & absolute, seu independenter ab omni conditione non vult, atque omnino respuit. *Involuntarium secundum quid* dicitur illud, quod quidem aliquo modo est involuntarium, simul tamen ratione alicujus additæ conditionis est voluntarium: sic projectio mercium in mare tempore periculi naufragij, est involuntaria secundum quid; quia naufragus non libenter illas projicit, imò libentius servaret, si posset absque periculo vitæ, nihilominus tamen in tali necessitate constitutus vult eas projicere ad servandam vitam. Unde patet, Involuntarium secundum quid semper habere adjunctum aliquid de Voluntario. Hoc prænotato sit

Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundum quid.

27. **CONCL. I.** Violentia causat Involuntarium simpliciter. Ita certa, & communis Doctorum. Ratio est: quia violentum dicitur illud, quod fit contra naturam atque intrinsecam inclinationem rei, cui tribuitur. Sic v. g. patitur homo violentiam, quando vi detinetur in loco, unde libenter exiret, aut quando membra ipsius externa contra suam voluntatem ab aliquo alio moventur. Hinc si Tyrannus cujuspiam manus violenter moveret ad sacrificandum Idolo thus, talis non peccaret, nam ejusmodi actio foret ipsi simpliciter involuntaria.

Violentia causat involuntarium simpliciter.

28. **CONCL. II.** Metus non causat Involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid; ac proinde id, quod metu fit, est simpliciter & absolute voluntarium, involuntarium autem tantum secundum quid. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 6. & consentiunt non solum omnes Theologi, sed etiam Juristæ. Sic projectio mercium in mare est simpliciter voluntaria tempore tempestatis, propter timorem naufragij, cuius speratur esse impeditiva; non obitante, quòd ipsa secundum quid, id est, prout consideratur secundum se, atque extra hunc casum necessitatis, sit involuntaria. Hinc etiam, qui metu mortis sacrificat idolo, aut aliud malum perpetrat, coram Deo reus est peccati; quia ad-

Metus non causat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid.

est sufficiens voluntarium, & propter nullum malum evitandum licitum est committere peccatum. Et hinc Jurista dicere solent: *Coacta voluntas, est voluntas.* arg. c. Merito. 15. quest. 1. & habet Glossa *ibidem*.

Pro nullo metu debet quis peccare.

(b) Tract. 2. dist. 2.

9. 3. Pacta, contractus, &c. metu iniuri, regulariter valent.

(c) De hoc Tract. 8. dist. 1. n. 18. & seqq.

Metus gravis, seu cadens in constantem virum, & levis, quid?

29. Cæterum licet pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, ut dicitur c. *Sacris. De ijs, que vi metusve causa &c.* eò quòd peccatum sit omnium malorum gravissimum propter offensam DEI, utpote infiniti Boni, quam continet. Nihilominus Leges humanæ positivæ quandoque cessant obligare in casu magni periculi seu damni, quòd rationabiliter timetur secururum; prout patet in præcepto Ecclesiastico jejuniij, quòd non obligat cum probabili periculo, seu metu secururæ infirmitatis, de quo alibi. (b)

30. Ex data Conclusionè ulterius sequitur, quòd Pacta, Contractus, Transactiones, Renuntiationes, & consimiles actus quamvis fiant ex metu gravi, atque iniuste incusso, regulariter sint validi, tam pro Foro externo quàm conscientiæ; prout post Glossam cap. *Super hoc. §. Resignationis. de Renunciat.* tenet Erri- cus Pirhing, tit. *De ijs, que vi metusve causa fiunt. num. 10.* & Sanchez lib. 4. de *Matrim. disp. 8. num. 4.* & communior aliorum, paucis exceptis: quia videlicet, quòd ex metu fit, simpliciter est voluntarium. Verum tamen est, quòd ea, quæ per metum gravem atque iniuste incussum fiunt, ita suadente æquitate, sint per sententiam Judicis rescindenda: unde cap. 2. eod. inquit Pontifex: *Que metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Quin-

imò dantur aliqui Contractus, ut Matrimonium, Sponsalia, Professio Religiosa, &c. qui ob metum gravem & iniuste incussum, (c) ipso jure irriti sunt; ratione quorum notanter additum fuit, regulariter loquendo.

31. Porro metus gravis (qui etiam dicitur *Metus cadens in constantem virum*) ille est, quem vir constans, & fortis, prudenter & rationabiliter concipit. Et ad hujusmodi metum, secundum Doctorem Subtilem in 4. dist. 29. q. un. & alios communiter, duæ requiruntur conditiones. Prima est, quòd malum, de quo est metus, sit grave: hujus autem mali gravitas attendi debet ex natura mali in se, ut est v. g. mors, captivitas, carcer, mutilatio enormis, stuprum, & ejusmodi; non autem ex vana & non fundata ætimatione patientis, seu metuents, qui posset alioquin levissimum malum tanquam grave apprehendere. Secunda conditio ad metum gravem requisita est, quòd ejusmodi grave malum

malum certò immineat; hoc est, ut non levi æstimatione, sed certitudinaliter, saltem certitudine sufficiente in actibus humanis, iudicetur eventurum. Quòd si alterutra harum conditionum deficiat, censetur Metus levis.

32. CONCL. III. Concupiscentia, prout est passio, seu motus appetitûs sensitivi prosequenti bonum delectabile, aut fugienti malum; cuiusmodi sunt amor, desiderium, spes, gaudium, ira: Huiusmodi, inquam, Concupiscentia, seu passio, si sit antecedens, semper minuit voluntarium, seu volibilitatem actûs, ad quem impellit; & consequenter minuit etiam virtutis meritum, aut culpæ reatum. Ita D. Thomas 1. 2. q. 77. art. 6. & 7. & communis Theologorum. Ratio primæ partis est: quia per Concupiscentiam, seu passionem antecedentem intelligitur ea, quæ in appetitu sensitivo naturaliter exurgens, omnem voluntatis deliberationem prævenit, eamque trahit, seu inclinât atque excitat, ad eliciendum actum amoris, iræ, &c. Atqui talia minuunt voluntarium; cùm illud voluntati magis sit voluntarium, ad quod ipsa semetipsam movet, quàm id, ad quod voluntas ab aliquo alio movetur, & quasi impellitur.

33. Dicitur notanter, *Concupiscentia, seu passio antecedens*. Nam secus est dicendum de Concupiscentia, seu passione consequenti, quam videlicet quis voluntate propriâ excitat in appetitu suo sensitivo, ut inde promptius in objectum feratur: putà, si quis in se excitet magnum desiderium vini, ut intemperantiùs ac delectabiliùs bibere possit; aut econtrà, loquendo de operibus virtuosis, si quis in se excitet magnum misericordiæ erga pauperes affectum, quo magis impellatur ad subveniendum pauperibus, & huiusmodi. Nam loquendo de tali passione consequente, nostram voluntatem, fatentur omnes, eam non solum non minuire, sed etiam augere voluntarium. Ratio est: quia ex magnitudine affectûs voluntatis provenit, ut in appetitu sensitivo similis affectus excitetur.

34. Confirmantur hætenùs dicta ex illa communi Theologorum doctrina, qua juxta triplicem radicem suam, peccatum distinguunt in peccatum ex infirmitate, ex malitia, & ex ignorantia. Et addunt Doctores, peccatum ex mera malitia gravius esse, quàm peccatum ex infirmitate: atqui peccans ex infirmitate peccat occasionaliter ex inclinatione Concupiscentiæ antecedentis, seu appetitûs sensitivi, cui voluntas nata est condelectari; ergo.

Passio potest  
omnino tollere voluntariam.

Notant etiam Doctores, posse accidere, quòd quandoque passio omnino tollat voluntarium: quia potest dari passio aliqua vehementissima, quæ aufert iudicium rationis; prout nonnunquã contingit ex melancholia, vel alia causa naturali, imò interdum aliqui propter iram, vel amorem inordinatum insaniant: atqui sine usu ac iudicio rationis non consistit libertas, neque ratio voluntarij liberi; ergo. Verùm regulariter hoc non contingit, sed habent locum dicta in Conclusionè.

## QUÆSTIO V.

Quotuplex sit Ignorantia, & an causet Involuntarium.

Ignorantia, 35.  
quid?

**A**Dvertendum, quòd Ignorantia propriè dicta differat à simplici negatione scientiæ; talis enim negatio scientiæ datur etiam in Lapide, Ignorantia verò importat privationem illius scientiæ, quam quis possèt habere: unde solum earum rerum propriè dicimur habere ignorantiam, quas pro tali statu ac tempore scire possemus, & non scimus.

Quæ ignorant homines, sunt in duplici differentia.

36. Porrò ea, quæ ignorant homines sunt in duplici differentia. Aliqua enim tenetur quis scire: prout omnes tenentur communiter scire principales Articulos Fidei, & universaliora Juris præcepta; singuli autem ea, quæ ad proprium cuiusque statum, vel officium spectant. Quædam verò sunt, quæ licet quis scire possit, non tamen tenetur ea scire: uti sunt pleræque doctrinæ Philosophicæ, Geometricæ, Arithmeticæ, &c. His prænotatis sit

Ignorantia variè dividitur.

37. CONCL. I. Ignorantia propriè dicta, seu quæ importat privationem talium rerum, quarum noticiam quis habere potest, variè dividitur. Ita communis, idque patet inductione; Si quidem omissis alijs divisionibus, scitu minus utilibus, Ignorantia dividitur in primis in Ignorantiam simplicis privationis, & in Ignorantiam prævæ dispositionis. *Ignorantia simplicis privationis* est carentia scientiæ seu cognitionis alicujus, cujus quis fuisset capax pro tali tempore, & statu: ut si quis adultus, & rationis compos, nesciat ea, quæ scire potuisset. *Ignorantia prævæ dispositionis* est positiva deceptio, & contrarius veritati error: & talis v. g. datur in Judæis, Hæreticis, & Paganis, qui non solum alicujus veri-

Ignorantia simplicis privationis, & prævæ dispositionis.

veritatis, præsertim supernaturalis, cognitionem non habent, sed insuper erroneè judicant rem aliter esse, ac reverà est.

38. Ignorantiæ alia celebris divisio est in Ignorantiam juris, & facti. *Ignorantia juris* est, cum quis ignorat legem, seu aliquid esse prohibitum aut præceptum: v. g. si quis nesciat, die Veneris esse prohibitam comestionem carnis; aut si quis nesciat, percussioni Clerici esse annexam excommunicationem, tunc talis dicitur habere Ignorantiam juris. *Ignorantia facti* est, si quis ignoret factum ipsum esse prohibitum, quod tamen reverà illicitum est ac prohibitum: ut si quis occidat hominem, putans esse feram; talis enim ignorat, hic & nunc à se fieri actum prohibitum, nempe homicidium, non obitante, quòd alioquin sciat, homicidium esse prohibitum. Idem accidit, si quis nesciat carnem esse, quam comedit die Jejunij; vel si non recogitet, esse diem Jejunij. Et hoc ultimum exemplum ideò hic apponitur, quia oblitio, & inconsideratio, etiam nomine Ignorantiæ comprehenditur.

39. Rursus Ignorantia dividitur in antecedentem, & concomitantem, & consequentem. *Ignorantia antecedens* est illa, quæ antecedit omnem voluntatem, non solùm explicitam, sed etiam implicitam; ac proinde nullo modo voluntaria est, nec directè, nec indirectè. *Ignorantia concomitans* est ea, quæ concomitanter se habet ad actum voluntatis nostræ; id est, quando ignorantia habetur de eo, quod agitur, tamen etiam si sciretur, nihilominus ageretur: sic fieret, cum quis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans eum occidit, putans, se occidere feram. Tandem *Ignorantia consequens* dicitur illa, quæ consequitur aliquo modo voluntatem nostram, vel explicitam, vel saltem implicitam, directam vel indirectam: & hinc Ignorantia consequens censetur esse voluntaria, imò etiam culpabilis, si versetur circa rem scitu necessariam.

40. Ignorantia ulterius dividitur in vincibilem, & invincibilem. *Ignorantia invincibilis* dicitur ea, quæ diligentia humanà impediri non potuit: seu (ut alij loquuntur) quæ morali diligentia superari ac tolli nequivit, eò quòd nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de opposito; vel etiam si in mentem venit, tamen adhibitâ diligentia inquisitione ignorantia illa depelli, & veritatis cognitio acquiri non potuit: & hujusmodi gno antia invincibilis re ipsâ est Ignorantia antecedens,



cedens, de qua proximè dictum. *Ignorantia vincibilis* ea est, quæ morali diligentia superari ac tolli, & opposita scientia acquiri potuisset, ac debuisset; & huiusmodi Ignorantia vincibilis in re coincidit cum Ignorantia consequente.

Ignorantia  
crassa &  
affectata,  
quæ?

41. Rursus Ignorantia vincibilis, seu consequens, juxta quod consequitur voluntatem nostram vel directè, dum scilicet quis datâ operâ vult ignorare, vel indirectè, quatenus non curat scire ea, quæ scire deberet, dividitur in affectatam, & in crassam seu supinam. *Ignorantia crassa*, seu *supina* dicitur illa, qua quis non curat scire ea, quæ communiter homines sui status & conditionis sciunt. *Ignorantia affectata* vocatur ea, cum quis datâ operâ vult ignorare, & non inquirere veritatem; sive ob discendi tædium ac pigritiam, sive ut ratione talis ignorantia circa legis obligationem habitæ vel excusationem aliquam mereatur à transgressione legis, vel liberius ac sine remorsu conscientia peccare possit. Juxta quod de talibus Job cap. 21. legitur: *Qui dixerunt DEO, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Et Psalm. 35. Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Ignorantia  
antecedens  
causat in-  
voluntari-  
um simpli-  
citer.

42. CONCL. II. Ignorantia antecedens, seu invincibilis, causat involuntarium simpliciter. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia huiusmodi ignorantia nec directè, nec indirectè est voluntaria, imò opus ex illa procedens non fieret, si ignorantia illa non adesset. Pater hoc in eo, qui occidit hominem, putans esse feram; nam is nullatenus hominem occideret si talis ignorantia non adesset. Et hinc factum ex tali ignorantia, cum homini nullo modo sit voluntarium, non imputatur ad peccatum.

Concomi-  
tans facit  
non volun-  
tarium.

43. CONCL. III. Ignorantia concomitans non quidem causat positivè involuntarium, facit tamen non voluntarium. Ita Doctores passim. Ratio est: quia positivè involuntarium dicit aliquid voluntati displicens: atqui occisio sui inimici, quem quis occidit, putans esse feram, non displicet voluntati, imò occidisset nihilominus, si scivisset, eum esse suum inimicum; ergo nec est ipsi involuntarium. Quia verò nihil est volitum, quin præcognitum, hinc Ignorantia concomitans reddit talem occisionem non voluntariam.

Consequens  
causat vo-  
luntarium.

44. CONCL. IV. Ignorantia consequens seu vincibilis sive affectata illa sit, sive crassa & supina, non causat involuntarium, sed voluntarium, saltem indirectè & in sua causa; ac proinde factum

Etum ex tali Ignorantia vincibili, seu consequente procedens, saltem in est simpliciter voluntarium, saltem indirectè. Ita rursus com- directè & in munis Theologorum. Ratio est: quia ipsamet Ignorantia vin- sua causa. cibilis, seu consequens, est simpliciter voluntaria, vel directè, si est affectata, vel saltem indirectè, si est crassa & supina, ut patet ex earum explicationibus suprâ allatis; ergo etiam factum ex tali Ignorantia non est involuntarium, imò simpliciter voluntarium, saltem indirectè, sive in sua causa.

45. Cæterum pro complemento hactenus dictorum, Nota Regula ge- generaliter, dum dictum est: factum ex Ignorantia esse involun- neralis præ- tarium, sive simpliciter, sive secundum quid; illud intelligendum dictorum. esse de objecto secundum eam rationem tantum, secundum quam ipsum fuit ignoratum, non autem in quantum ipsum fuit cognitum, ut advertunt omnes Doctores. Hinc si quis occidens alterum, sciat quidem ipsum esse hominem, nesciat tamen esse Patrem suum, vel Sacerdotem; factum ex tali Ignorantia erit quidem involuntarium operanti, in quantum est Parricidium, vel Sacrilegium; non verò, in quantum est Homicidium: & sic loquendo de similibus.

## DISTINCTIO II.

De natura Actûs Humani seu Moralis;  
& varijs ipsum concernentibus.

### QUÆSTIO I.

Quid sit Actus Humanus, seu Moralis?

1. **A**dvertendum I. Quòd recepto Theologorum stylo Actus hu- non sit idem, *Actus humanus*, & *Actus hominis*: omnis enim manus, & actio ab homine quomodocunque elicita, etiamsi sit Actus ho- merè naturalis, ut nutritio, augmentatio, &c. aut facta absque minis, dif- advertentiâ seu deliberatione, ut dum quis pedem aut manum ferunt. movet, vel barbam fricat alijs intentus, potest dici actio seu *Actus hominis*: *Actus autem humani* propriè dicuntur actiones illæ, C quæ

quæ ex voluntate deliberata procedunt. Hinc Doctor Subtilis 2. dist. 41. *quæst. un.* optimè eos appellavit *Actus non humanos*, qui procedunt ex sola imaginatione, & non ex libero arbitrio impellente.

Actus humanus hic sumitur pro morali, licet alioquin differant.

2. Advertendum II. quòd in proposito Actus humanus communiter solet à Doctoribus sumi pro Actu morali, & cum eo converti, non obstante, quòd in rigore loquendo latius patere videatur Actus humanus, quàm moralis: siquidem actus illi, quos non rarò eliciunt pueri, liberè quidem, sed ante cognitionem boni & mali morali, virtutis nimirum ac vitij ( ut dum ex apprehensione, & cognitione solius commodi, vel incommodi naturalis, deliberatè eligunt unum objectum præ alio, v. g. faccarum præ sale ) possunt quidem dici *Actus humani*, sed non in rigore loquendo *Actus morales*. Verùm his non obstantibus, ac restringendo & sumendo Actum humanum, prout coincidit cum morali, sic

Actus humanus seu moralis, quid?

3. CONCL. I. *Actus humanus*, seu moralis ut sic, benè definitur, quòd sit Actus voluntatis liber, elicitus cum advertentia rationis ad aliquam regulam nostrorum actuum in ordine ad ultimum Finem nostrum. Hæc Conclusio in re est communis, & probatur declarando singulas ejus particulas. Dicitur imprimis, *Actus voluntatis liber*: quia ad Actum humanum seu moralem omnino requiritur, quòd sit liber, id est, quòd liberè procedat à voluntate ex delectu operante; libertas enim actus, est fundamentum totius generis moris, & per consequens boni vel mali morali, etiam quoad malitiam venialem. Et additur, *elicitus cum advertentia rationis*: quia Actus moralis non solum debet procedere à voluntate quomodocunque, sed operante cum advertentia rationis, ita videlicet, ut ratio seu intellectus advertat, quid agatur. Et defectu hujus conditionis actus illi, qui procedunt ex sola imaginatione, utputà inadvertenter fricare barbam, &c. non sunt propriè loquendo morales, eò quòd non eliciantur cum advertentia rationis.

Quomodo debeat fieri ad regulam nostrorum actuum?

4. Dicitur ulterius, *ad aliquam Regulam nostrorum actuum*. Quod intelligendum de Regula vel præcipiente, vel consulente, vel permittente, vel prohibente, ut sic sub Actu morali generaliter sumpto comprehendamus non solum actus morales bonos, qui nobis sunt præcepti, vel saltem sub consilio propositi; sed etiam indifferentes nobis permittos ( de quibus infra *Quæst. 5.* ) atque insuper actus moraliter malos, seu peccaminosos, qui per  
Regu.

Regulam nostrorum actuum nobis sunt prohibiti. Et defectu hujus conditionis, à ratione Actus moralis excluduntur illi, qui eliciuntur à pueris ante usum rationis. Additur tandem, *in ordine ad ultimum Finem nostrum*, ad quem per actus nostros moraliter bonos accedimus, per malos verò ab eodem recedimus.

5. Quæres autem, quænam sit illa Regula morum, à qua per accessum, vel recessum, derivatur moralitas in Actus humanos; Resp. cum D. Thoma 1. 2. quæst. 19. art. 4. & communi Theologorum, ejusmodi Regulam esse duplicem, remotam videlicet, & proximam. *Regula morum*, seu actionum nostrarum moralium *remota*, est Lex extrinseca nobis præscribens, quidnam secundum rectam rationem sit agendum, vel fugiendum: de qua in Tractatu II. qui est *De Legibus*, dicitur. *Regula proxima* actionum nostrarum (quam Doctor Subtilis *Quodlib. 18* appellat *Regulam intrinsecam*) est ipsummet dictamen rectæ rationis, seu conscientiæ nostræ, proximè nobis dictans, quidnam sit conforme vel difforme legi extrinsecæ, ac proinde bonum vel malum, faciendum vel omittendum. Et de hac proxima Regula morum fusius agetur in sequenti Distinctione, quæ erit *De Conscientia*.

## QUÆSTIO II.

Unde Actus Humani desumant suam bonitatem, vel malitiam moralem?

6. **A**dvertendum I. Quòd actus voluntatis alij sint elicitij, alij imperati. *Actus voluntatis elicitij* dicuntur illi, qui ab ipsa voluntate eliciuntur, seu immediatè producuntur: uti sunt actus volitionis, nolitionis, ac hujusmodi. *Actus imperati* voluntatis sunt illi, qui ex imperio ipsius voluntatis producuntur: uti si voluntas imperet potentiæ loco motivæ, ut pergat in Ecclesiam, talis ambulatio ex imperio voluntatis procedens dicitur Actus voluntatis imperatus; & idem dicendum de actibus ipsius intellectus, aut aliarum potentiarum, ex imperio voluntatis procedentibus. Imò notant Doctores, voluntatem etiam sibi ipsi posse imperare actum, v. g. detestationem de peccato commisso; ut proinde sint aliqui actus à voluntate elicitij, & simul ab eadem imperati. Unde autem tales actus voluntatis, sive elicitij,

ti, siue imperati, suam desumant bonitatem, vel malitiam moralem, quæstio remanet.

Bonitas naturalis, & moralis in actibus nostris, quæ?

7. Advertendum II. Quòd in actibus nostris duplex Bonitas considerari possit, una naturalis, alia moralis. *Bonitas naturalis* consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ in entitate actûs naturaliter requiruntur: sic v. g. cantus benè consonans, ac iuxta regulas Musices factus, dicitur naturaliter bonus, quamvis forsan sit lascivus, & moraliter malus. *Bonitas moralis* consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ actui humano secundùm rectam rationem convenire debent. Econtrà verò *malitia moralis* consistit in defectu omnium, vel saltem alicujus eorum, quæ actui humano secundùm rectam rationem convenire debent: siquidem, ut post D. Dionysium *lib. de Divinis nominibus, cap. 4.* notant Doctores, *Bonum est ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.*

Bonum triplex, delectabile, utile, & honestum.

8. Advertendum III. Quòd Bonum communiter triplex assignetur, videlicet Bonum utile, Bonum delectabile, ac Bonum honestum. Ex his *Bonum delectabile* dicitur illud, quod operanti affert delectabilitatem; ut est cibus, vel potus. *Bonum utile* verò, quod affert utilitatem; ut sunt divitiæ hujus Mundi. Et certum est, in hujusmodi duplici Bono non consistere bonitatem moralem actûs humani, cum sapius id, quod nobis utile aut delectabile accidit, sit lege Divinâ prohibitum; ut patet in furto, quod furanti affert utilitatem; ac innumeris aliis. Tandem *Bonum honestum* idem est, ac moraliter bonum, estque illud, quod est secundùm rectam rationem; id est, quod est conforme dictamini rectæ rationis, seu conscientie nostræ proponenti nobis, quidnam sit consentaneum legi extrinsecæ, siue Divinæ, siue humanæ; ac proinde moraliter bonum vel malum, prosequendum vel fugiendum, &c. Et prosequendo hujusmodi Bonum honestum, dicitur quis benè seu virtuosè operari, ac propterea esse dignus laude atque præmio: qui verò secus agit, dicitur malè seu vitiosè agere, atque esse dignus vituperio & supplicio. His prænotatis sit

Bonitas vel malitia Actûs moralis ex triplici capite desumitur.

9. CONCL. I. Bonitas, vel malitia Actûs moralis, ex triplici capite desumitur, videlicet ex objecto, ex fine extrinseco, qui dicitur *Finis operantis*, & denique ex alijs circumstantiis. Ita Doctor Subtilis *in 2. dist. 40.* estque in re communis Theologorum. Quæ quidem Conclusio sic intelligenda est, quòd ad bonitatem Actûs moralis, siue humani, debeat concurrere & bonitas objecti,

&c

& bonitas finis extrinseci, & bonitas omnium circumstantiarum; ita videlicet, ut in nullo horum sit aliqua turpitudine moralis, ad malitiam autem Actus humani sufficiat malitia uniuscujusque praedictorum trium. Ratio est: quia bonum est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu, ut jam supra dictum est

num. 7.

10. CONCL. II. Bonitas, vel malitia Actus moralis, ex objecto desumpta, est primaria & essentialis actui in genere moris spectato; desumpta vero ex circumstantiis qua talibus (sub his etiam comprehendendo finem extrinsecum, seu intentionem operantis) est accidentalis & secundaria. Ita Scotus *Quaest. 4. Prologi*, cum suis, & aliis Theologis pluribus. Declaratur Conclusio exemplis: Sic furtum in genere moris spectatum sumit suam primariam malitiam ab objecto, seu re aliena, eo quod repugnet dari furtum, si res ablata non sit aliena; ac proinde talis malitia ex objecto desumpta, dicitur furto in genere moris spectato esse essentialis. Quod si vero quis furetur eam simul intentione, ut possit fornicari, aut gulae indulgere, tunc haec malitia ex prava ista intentione, seu fine extrinseci desumpta, erit furto accidentalis, quia potest adesse vel abesse, salva furci malitia essentiali; eritque simul secundaria, utpote cum jam aliam malitiam furto essentialem supponat.

Bonitas vel malitia ex objecto desumpta, est primaria & essentialis actui; alia est accidentalis & secundaria.

11. Dicitur notanter in posteriori parte Conclusionis, *desumpta vero ex circumstantiis qua talibus*. Fatendum quippe est, circumstantiam quandoque tribuere actui etiam primam, atque essentialem bonitatis, vel malitiae speciem: in eo tamen casu ipsae definiunt esse circumstantiae in genere moris respectu talis actus (non obstante, quod maneat ejusdem circumstantiae in esse naturae) sed induunt rationem objecti, prout recte notat Doctor Subtilis *loc. cit.* Sic fit, dum quis actionem ex se indifferentem, puta Studium, elicit ad honorem DEI, vel actionem bonam ob finem pravum, dando v. g. eleemosynam ob vanam gloriam: in his enim casibus ejusmodi finis extrinsecus, seu intentio bona aut mala, confert actui primam omnino speciem bonitatis vel malitiae, utpote cum nullam aliam priorem, seu praexistentem supponat; Studium quippe ex se est opus indifferens, bonitas vero eleemosynae ob illum pravum finem vanae gloriae corrumpitur, & cessat in tali actu.

Circumstantiae quandoque tribuunt actui primam speciem bonitatis, vel malitiae moralis.

12. CONCL. III. Sola intentio bona, seu bonitas finis extrinseci, diminuit quidem malitiam medij pravi, ipsa tamen non suffi-

Sola bonitas intentionis



non sufficit  
ad tollendā  
malitiam  
medij pravi.

sufficit ad malitiam medij pravi omnino tollendam; imò potius totum opus est simpliciter malum. Ita communis. Sic v. g. mendacium officiosum non desinit esse mendacium, eò quòd per illud necessitati proximi subveniatur: quinimò, ut inquit D. Augustinus *lib. contra mendacium, cap. 31. etiam ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* Similiter, si quis furetur animo dandi ex re furtiva eleemosynam, non per hoc excusatur à malicia furti, non obstante, quòd ejus malitia per hoc aliquantulum minuatur: siquidem, ut habetur *Rom. cap. 3.* non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Ratio horum generalis est: quia bonum est ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu; ergo si medium est malum, integra actio vitriabitur, atque evadet mala.

Oculus simplex, quis?

13. Obicitur nihilominus contra hanc secundam Conclusionem. *Matth. cap. 6.* dixit Christus Dominus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit:* ubi per oculum denotatur intentio, secundum SS. Patres & Doctores passim; ergo si intentio, seu finis bonus est, totum etiam opus erit bonum. Resp. negando consequentiam: quia, ut bene notat D. Bernardus *lib. De precepto & dispensatione* (ubi hoc dubium ex professo tractat) non est oculus simplex, nisi cum recta intentione etiam opus sit rectum: etenim, ut intentio sit bona, non solum finis bonus intendi debet, sed etiam bene, id est, sine admixtione pravæ circumstantiæ, aut medij mali.

Intentio  
judicat  
omnes,  
quomodo  
intelligen-  
dum?

14. Obicitur ulterius. Juxta illud tritissimum axioma *Intentio judicat omnes;* ergo si quis bonâ intentione proximo subveniendi facit mendacium officiosum, vel leve furtum, non videtur peccare. Probatum consequentiam ex S. Augustino, in *Præfatione ad Psalm. 31.* sic dicente: *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit, aspiciat;* ergo. Resp. negando consequentiam: nam axioma illud intelligi debet juxta proximè dicta ex S. Bernardo: neque enim intentio est bona, nisi finis bonus intendatur & simul bene, id est, sine admixtione pravæ circumstantiæ, aut medij mali. Ad S. Augustinum dicitur, eundem velle duntaxat, quòd ad operis honestatem requiratur, ut agens aspiciat ad bonum virtutis, illud attendendo atque volendo; & non opus ex se bonum, atque ante oculos humanos excellens, faciat ob pravum finem vanæ gloriæ, aut huiusmodi, ne alioquin justum quidem faciat, sed non justè. Neutiquam autem vult S. Augustinus *loc. cit.* ex sola bonitate finis desumi bonitatem actus

mora-

moralis; cum bonum debeat esse ex integra causa, malum vero sit ex quolibet defectu. Hinc, ut legitur 1. Reg. 6. 15. Saul Rex plurimum reprehensus fuit, eo quod quaedam spolia ex caede Amalec contra Dei praecipuum reservaverit, licet id fecerit ob honestum finem, nempe ut ex iisdem spolijs Deo in signum gratitudinis sacrificaret, atque hostias offerret.

15. Obijcitur tertio. Ex duobus malis minus est eligendum, *Nunquam licitum est, facere malum culpa cum ordinatione ad finem bonum.* can. Duo mala. &c. *Nervi, dist. 13.* ergo si v.g. mendacium occurrat dicendum, ut vitentur graviora facinora, illud erit licitum. Resp. negando consequentiam: nam quamvis ex duobus malis minus sit eligendum, quando eorum alterum necessario est faciendum; uti patet quotidie in Civilibus, nec non & Physicis, ubi Chirurghi secant infirmo manum, ut vitam ejus servent: nunquam tamen est faciendum aliquod malum culpa cum ordinatione ad aliquem finem bonum. Siquidem malum culpa est gravius omni malo poena, ac proinde nunquam licite potest eligi pro quocumque malo poena vitando: unde, ut inquit Apostolus ad Rom. 3. *Eorum damnatio justa est, qui dicunt, Faciamus malum, ut eveniant bona.*

16. Urgebis. Ergo saltem minus malum culpa potest licite eligi ad fugiendum majus malum culpa. Resp. negando sequelam, vel potius suppositum ejus: nam si tanta occurrat necessitas, ut ex duobus, quorum alioquin quodlibet esset peccatum, necessario unum mihi sit eligendum, debet quidem eligi id, quod ceteroquin minus foret, illud tamen revera tunc non habebit rationem peccati, sed vacabit omni culpa; prout cum D. Augustino, *lib. contra mendacium, cap. 18.* notat communis Theologorum. Sic quando die Dominico debebo vel omittere auditionem Missae, vel domi relinquere infirmum solitarium cum periculo vitae ejus, eo quod non habeam alium, qui interea decumbenti inserviat; tunc teneor eligere omissionem Missae (nam minus obligat praecipuum Ecclesiasticum de Missa audienda, quam praecipuum naturale de subveniendo proximo extreme indigenti) quamvis ipsa in tali casu mihi ad culpam nullatenus imputetur.

17. Instabis. Ergo pariter, si possum meo mendacio impedire graviora alterius peccata, potero licite mentiri, neque mentiando peccabo; quia ex duobus malis minus eligerem. Resp. negando sequelam: aliud enim est, ex duobus malis, quorum unum necessario est eligendum, minus eligere: juxta dicta *num. praec.* aliud vero, facere malum culpa (nam mentiri est

Culpam vacat, eligere ex duobus id, quod minus malum de se foret, si unum necessitate eligendum sit.

Nova instantia, & notabilis solutio ipsius.



est intrinsecè malum) cum ordinatione ad vitandum majus peccatum alterius, quod alter liberè, non verò necessariò, commissurus putatur, de quo *num. 15.* Et gravius longè mihi malum est, proprio peccato me coinquinare, quàm sine culpa mea alterius peccatum permittere, fortè non futurum. Et certè (ut optime S. Augustinus, *lib. Contra mendacium, cap. 9.* solvens hoc dubium, notavit) si hanc peccatis aperuerimus viam, ut committamus minora, ne alij committant majora, lato limite, imò nullo limite cuncta intrabunt atque regnabunt, dum profectò & furtis nostris stupra cavebuntur aliena, &c. & non solum minora pro majoribus, sed etiam (loquendo de maximis peccatis) pauciora peccata pro pluribus licita esse invenientur, quod absit.

### Q U Æ S T I O III.

Quomodo malitia, & præsertim bonitas debeat esse volita, ut eam Actus Humanus desumat ex objecto & circumstantiis.

**18.** **C**ONCL. I. Ad hoc, ut Actus moralis desumat suam malitiam ex objecto aut circumstantiis, non requiritur, ut malitia ipsius sit directè volita & intenta, sed sufficit advertere aliquo modo, actum esse malum. Unde ad contrahendam malitiam sufficit quodcunque voluntarium, sive directum, sive indirectum, ac virtuale. Ita omnes Doctores; & ratio est: quia bonum est ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu, prout post D. Dionysium *cit. lib. de Divinis Nomin. c. 4.* tenent communis Doctorum.

**19.** Inferitur proinde, quamvis operans directè malitiam nolit, ipsique turpitude actus displiceat, nihilominus hoc ipso, quòd actum illum facit, cui adjunctam esse malitiam advertit, eum peccare. Ratio est: quia licet displiceat malitia, non tamen displicet efficaciter; ac proin ipsa malitia saltem indirectè, & in sua causa, seu (ut alij loquuntur) interpretativè est ipsi voluntaria, quod sufficit ad malitiam actus. Et hoc quidem est certum, in eoque conveniunt Doctores passim: major autem difficultas est de bonitate actus, & quomodo ea debeat esse volita, ut ipsam actus desumat ex objecto & circumstantiis.

20. CONCL.

Ad malitiam actus contrahendam non est necesse, ut ea sit directè volita, &c.

Corollarium notabile.

20. CONCL. II. Ut actus defumat bonitatem moralem ex ob-  
 jecto, non sufficit voluntarium indirectum seu interpretativum  
 honestatis, sed requiritur, ut hæc sit præcognita, & directe vo-  
 lita: unde si quis faciat objectivè bonum, seu honestum, nullâ ha-  
 bitâ ratione honestatis ipsius, is non facit actum moraliter bo-  
 num & honestum; putâ si quis faciat actum justitiæ in contra-  
 ctibus humanis ex intentione solius lucri, vel reddat alteri quod  
 suum est ex solo metu humano, ne utriquam curando, quòd hoc  
 sit honestum. Deòque placitum, is non facit actum moraliter  
 bonum & honestum: licet enim talis justum facere dici possit,  
 non tamen justè. Ita Doctor Subtilis *Quodlib. 18.* estque commu-  
 nis aliorum, paucis exceptis.

Ad bonitatē  
 moralem  
 actus ex ob-  
 jecto defu-  
 mendam  
 requiritur,  
 ut hæc sit  
 directè vo-  
 lita.

21. CONCL. III. Nihilominus ad contrahendam bonitatem  
 ex objecto non est necesse, ut honestas ejus appetatur tanquam  
 objectum formale motivum, seu ut ratio formaliter appetendi;  
 satis quippe est, eam cognosci simulque intendi, etiamsi talis  
 honestas non ametur propter se, nec sit ratio motiva actus, sed  
 aliqua alia bonitas, dummodò nulla apponatur mala intentio,  
 aut alia prava circumstantia. Ita Barthol. Mastrius in 2. *Sentent.*  
*disp. 5. n. 193.* estque communior Doctorum. Sic enim, qui dat  
 (fortè jussu Confessarij) elemosynam in satisfactionem suo-  
 rum peccatorum, non solùm elicit actum Pœnitentiæ, sed etiam  
 actum Misericordiæ, non obstante, quòd in tali casu motivum  
 formale eliciendi actum illum elemosynæ sit honestas Pœni-  
 tentiæ. Et hoc procedit de bonitate ex objecto defumpta, & cui  
 nulla prava circumstantia admiscetur.

Licet neces-  
 se non sit, ut  
 ea appeta-  
 tur tanquã  
 objectum  
 formale  
 motivum.

22. CONCL. IV. Loquendo tamen de fine extrinseco, & non  
 nullis circumstantiis aliis, debet quandoque honestas amari pro-  
 pter seipsam, seu formaliter intendi, ut actus illam honestatem  
 contrahat. Ita Scotus *Quodlib. 18. §. de primo.* Mastrius *cit. disp. 5. n. 199.*  
 & videtur communis inter Doctores. Probatur simulque declara-  
 tur Conclusio: nam in primis bonitas finis operantis (qui dicitur  
*Finis extrinsecus*) est omnino extrinseca, & accidentalis actui; ergo  
 si ipsa non sit ratio motiva agendi, actuq; ex intentione agentis  
 datâ operâ non conjungatur, nequaquam poterit actus eam finis  
 extrinseci honestatem participare. Sic v. g. quia jejunium ultra  
 honestatem Temperantiæ, quæ ipsi ex objecto comperit, potest  
 ex intentione bona, seu fine extrinseco operantis, aliam quo-  
 que accidentalem honestatem participare (nimirum Pœniten-  
 tiæ, si fiat in satisfactionem peccatorum; Religionis, si fiat ob-  
 cul-

Ut actus  
 bonitatem  
 moralem  
 defumat ex  
 fine extrin-  
 seco, & cir-  
 cumstantiis,  
 quid requi-  
 ratar?

D

cultum Dei) ut jejunium etiam hujusmodi honestates participet, necesse est, quod hæc per se intendantur ab operante: & idem fit in similibus.

Quid obser-  
vandum  
circa obje-  
cta indiffe-  
rentia?

23. Deinde etiam in objectis indifferentibus, ut actus honestatem cuiuspiam virtutis participet ex fine extrinseco, seu bonâ intentione operantis, necesse est, operantem moveri ab honestate illius finis extrinseci seu virtutis. Sic, ut actus comestionis, studij, dormitionis, &c. qui ex se indifferens est, acquirat bonitatem Obedientiæ erga Deum, volentem, quod tempore congruo moderatè comedamus, dormiamus, studeamus, aut alia ejusmodi opera exerceamus, necesse est, ut hujusmodi honestas virtutis Obedientiæ erga Deum intendatur, & propter se appetatur; alioquin enim actus ille nullam bonitatem virtutis Obedientiæ contrahet, sed remanebit in sua indifferentia. Idem dicendum de aliis similibus.

Sufficit  
cognosci &  
amari ho-  
nestatem  
implicitè,

24. CONCL. V. Veruntamen dicta in præmissis Conclusio- nibus, ubi habetur, quod honestas debeat cognosci, & amari, aut etiam per se intendi, non sic intelligenda sunt, quasi exigatur reflexio cognitionis, vel volitionis circa honestatem objecti, aut circumstantiarum: sufficit enim, modo aliquo implicito, aut æquivalenti cognosci, & appeti honestatè illam, apprehendendo v. g. objectum ut laudabile, ut dignum præmio, ut placitum Deo, ut commendatum à viris probis; vel in speciali, ut opus Justitiæ, Charitatis, Obedientiæ, &c. sicque illud volendo. Hinc Christus Matth. cap. 10. inquit: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine Discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Bona inten-  
tio nostris  
actionibus  
præfigenda,  
cur?

25. Quæres, quid sit sentiendum de bona intentione nostris operibus præfigenda? Resp. I. Cur Libri Ascetici adeò commendent bonam intentionem, ratio desumitur ex dictis, ne videlicet alioquin justum quidem operemur, sed non justè; simulque negligamus innumeras occasiones bonè agendi, atque promerendi augmentum gratiæ & gloriæ cœlestis, quas continuò habere possumus constituti in statu gratiæ, dummodò ex bona intentione, puta Amoris Dei, aliarumque Virtutum supernaturalium, eliciamus actiones nostras, sive ex objecto bonas, sive indifferentes.

Commen-  
datur bona  
intentio

26. Ubi quidem in primis commendatur propositum initio diei conceptum, ob Dei Amorem omnia agendi ad ipsius perennem gloriam: sed quia hujusmodi intentio generalis non videtur

deur posse virtualiter permanere, atque influere in omnes actiones totius diei; hinc eam interdum renovandam, atque peculiaribus actionibus nostris praefigendam, monet Jeremias Drexelius lib. 1. Amussis, cap. 5. §. 4. citans D. Thomam, aliosque. Et haec etiam fuit expressa mens D. Bonaventurae lib. 2. dist. 41. art. 1. quaest. 3. ad 6. ubi ad hoc, ut actio aliqua sit meritoria, requirit talem relationem ad Deum, non quam quis in generali refert ad Deum omnia opera diei, vel anni, sed quam quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus sequens directam habeat ad opus primum ordinationem, & consequentiam: cujusmodi relationem in Deum, alij appellant Intentionem virtuales. Concordat Doctor Subtilis 2. dist. 41. quaest. un. ubi ait: Non videtur minor relatio (in Deum) sufficere ad meritum, quam relatio virtualis.

27. Resp. II. Nihilominus sufficere ad meritum intentionem, seu relationem virtuales in Deum, fatentur tum citati, tum alij Doctores. Dicitur autem Intentio virtualis, quae licet actu jam praeterierit, manet tamen in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute actualis intentionis prius habitae facit omnia, quae facit, tanquam ex radice, ita quod illa intentio actualis fuerit principium ordinatum ad omnes illos actus sequentes. Exemplum hujus, proposito nostro accommodatissimum, ponit Scotus 4. dist. 6. q. 6. ubi ait: Hoc modo intendens ire ad sanctum Iacobum, ex intentione hujus finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de sancto Iacobo, nec de reverentia ejus. Dico tamen, quod semper meretur, quia vel habet intentionem eorum, quae sunt ad finem illum, cujus est illa prima intentio, vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, in quibus proinde virtualiter continuatur illa prima intentio eundi ad sanctum Iacobum, non obstante, quod interveniant aliqui actus distrahentes. Similia habet sanctus Bonaventura loc. cit. hinc inferens de viris Religiosis, qui in principio ex charitate devoverunt portare Religionis onus: quidquid enim (inquit) faciunt, quod ad suae Religionis observantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi forte (quod absit) contraria intentio superveniat: in alijs autem, quae ad Religionem non spectant, secus est, quia illa intentio non se extendit ad alia. Hinc quoad similia erit renovanda intentio, ne maneat in sua indifferentia, & absque merito: quamvis admodum sit consultum, meritorium, Deoque gratum, eandem etiam quoad reliquos actus iterare, tum ad debitum DEO servitium eo exquisitius ferventiusque praestandum;

tum ad augendos internos virtutum actus, & participandam multiplicem bonitatem extrinsecam.

## Q U Æ S T I O I V.

De bonitate, vel malitia Actûs externi.

Bonitas, vel malitia moralis, per se primò inest actui voluntatis interno,

28. **C**ONCL. I. Bonitas, aut malitia Actûs moralis, per se primò inest actui voluntatis interno atq; elicito; in aliis autem actibus exterioribus ac imperatis, uti sunt actus intellectûs, atque actus potentiarum sensitivarum, & membrorum exteriorum, non nisi secundariò & participativè, id est, dependenter ab actu interiori voluntatis. reperitur bonitas, vel malitia moralis. Ita Doctor noster *2. dist. 42. q. 2.* & alij. Ratio est: quia causa prima eliciendi actum liberum, sicque operandi bonum, aut peccandi, est voluntas; ergo etiam bonitas actûs, vel malitia peccati, primariò erit in actu voluntatis, in actibus autem aliarum potentiarum solùm secundariò, & dependenter ab actu voluntatis, ejûsque libertate.

Actus externus, saltem occasionaliter, addit bonitatem, &c, interno.

29. **C**ONCL. II. Actus externus, regulariter loquendo, addit aliquid bonitatis vel malitiæ actui interiori, saltem causaliter, vel occasionaliter. Hæc Conclusio sic prolata, est certa inter Theologos. Ratio est: quia dum ponitur Actus exterior, occasione ejus regulariter loquendo intenditur, aut diutiùs continuatur interior; ergo vera est Conclusio, quòd nimirum occasione Actûs exterioris & causaliter, regulariter addatur nova bonitas vel malitia actui interno, utpote qui occasione Actûs externi solet intendi, vel diutiùs continuari. Et hoc ipsum docet experientia: Sic qui re ipsâ Martyrium patitur, regulariter loquendo plus meretur, quam qui illud solummodò efficaciter exoptat; dum enim re ipsâ patitur Martyrium, occasione exterioris passionis elicit plures novos intensiores actus internos voluntatis, quibus Martyrium ob Dei amorem acceptat, & tolerat. Similiter, dum quis actu ipso fornicatur, hic actus exterior reddit utique affectum internum fornicandi intensiorem, quam antea fuerat; ut taceantur aliæ pravæ cupiditates, occasione talis actûs externi pravi in homine subsequentes. Et hoc quidem est certum & à Doctoribus communiter concessum: an autem ipsemet Actus exterior secundùm se addat specialem bonitatem

tem

(111)

tem, vel malitiam actui interno, inter Theologos plurimum celebris est questio, ad quam breviter respondendo fit

30. CONCL. III. Actus exterior habet etiam bonitatem, vel malitiam moralem propriam, distinctam ab ea, quam habet actus interior voluntatis elicitus; ac proinde simpliciter loquendo, actus exterior superaddit specialem bonitatem, vel malitiam actui interiori. Ita Doctor Subtilis *Quodlib. 18.* cum omnibus suis, quamvis multi alij Theologi teneant oppositum. Probatur Conclusio in primis auctoritate D. Augustini i *lib. 13. de Trinit. cap. 5.* dicentis: *Malâ voluntate vel solâ quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malâ voluntatis impletur.* Hinc Glossa super illud Exodi. 20. *Non mœchaberis*, inquit, *Qui opus adjoicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.* Probatur eadem Conclusio ratione: Si actus externus non superadderet specialem malitiam actui interno malo, sequeretur, actum externum non esse necessarium confitendum; sufficeret enim solum actum internum efficacem occidendi v. g. vel adulterandi, confiteri; consequens est absurdum, & contra Decretum Alexandri VII. anno 1665. sequentem inter alias propositionem, ordine 25. damnantis: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Probatur sequela: quia juxta sententiam oppositam actus externus, v. g. fornicationis, non habet specialem malitiam ab interiori; ergo hoc solo explicato in Confessione, jam tota malitia sui peccati explicaretur; & consequenter, cum hoc dici nequeat, erit admittenda Conclusio.

Habet etiam distinctam bonitatem, vel malitiam moralem ab interno.

31. Confirmatur Conclusio. Tum quia Deus ipsemet specialibus præceptis prohibere dignatus est actum internum, & externum peccati; ut patet ex eo, quod Sexto præcepto Decalogi expressè prohibuerit adulterium, & Nono pravam concupiscentiam seu voluntatem adulterandi; ergo aliam agnovit malitiam in actu externo, quam interno, alioquin frustra multiplicarentur eiusmodi præcepta. Tum quia plures Leges, tam Canonicæ, quam Civiles, puniunt actus externos, non tamen internos (non obstante, quod hi in Foro externo legitime probentur, puta per propriam confessionem) ut patet in excommunicatione annexa hæresi formali externæ, non internæ; aut percussioni actuali Clerici, non autem voluntati hunc percutiendi, ac hujusmodi. Tum quia actus externi sunt verè liberi, haud obstante, quod libertatem participant à voluntate,

Hoc autem plus probatur.

ejusque imperio ; ergo etiam sunt boni vel mali, prout substantiam imperii voluntatis, & quidem distinctâ bonitate vel malitiâ, non minus, ac habent diversam libertatem. Nam, ut subtiliter argumentatur Scotus *loc. cit.* voluntas utrique actui distinctam & propriam communicat libertatem, dum actui interno communicat libertatem ut eliciens, qui proin est immediatè voluntarius ; exteriori verò communicat libertatem ut imperans, qui proinde ( ne quoad propositum dicatur se habere, sicut instrumentum inanimatum manu artificis motum ) est saltem participativè liber, ac mediatè voluntarius.

Voluntas  
reputatur  
pro facto,  
quomodo?

32. Obijcitur tamen contra hanc Conclusionem, afferendo plures S. Patrum Auctoritates, ac præsertim illam D. Bernardi, *Epist. 77* dicentis: *Legimus, qui videt mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo. Quid planius, quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas* Hæc ille. Resp. Sensum talium locutionum esse, quòd voluntas pro facto reputetur quoad culpam & reatum in malo, non verò quoad quantitatem culpæ: uterque enim peccat mortaliter, tam adulterans, quàm concupiscens adulterium; sed ille gravius, utpote iniquitatem addens iniquitati.

Exemplum  
Vidua, mit-  
tentis duo  
minuta in  
munera  
Dei, decla-  
ratur.

33. Quòd si quis instet. Juxta illud commune adagium, *Voluntas pro facto reputatur, ubi facultas operis deest*: unde etiam Christus *Lucæ 21*. Viduam pauperem, quæ misit duo minuta in gazophylacium Templi prætulit alijs, qui multa miserunt; ergo. Resp. dictum illud, *Voluntas pro facto reputatur, &c.* Verum esse, quantum ad sufficientiam ad salutem, præmiûmque substantiale in cœlis consequendum; non verò, quantum ad præmii excellentiam, majorémque actûs bonitatem. Nec urget exemplum Vidua pauperis, cum in illo casu cætera non fuerint paria; nam Vidua illa pauper misit duo minuta ex majori fervore & charitate, quàm cæteri, qui plus mittebant: hi enim, ut Christus Dominus ibi attestatur, ex abundantia sibi miserunt in munera Dei, illa verò omnem victum suum, quem habuit, misit.

Actus inte-  
rior & ex-  
terior, an  
sint duo  
peccata?

34. Quæres, an actus interior & exterior sint unum, vel duo peccata? Resp. Quantum atinet ad praxin, sufficit in Confessione explicare actum externum deliberatè perpetratum, v. g. se furatum esse toties summam gravem; hoc ipso enim indicatur etiam interna voluntas furandi, à qua derivatur malicia peccati in actum externum. Non autem sufficit ei, qui actum internum, sive propositum peccandi opere externo

com-

complevit, solum actum internum explicare, sed tenetur etiam explicare actum externum, propter dicta num. 30. Et hæc est certa, atque omnimodis tenenda, præsertim post Decretum Alexandri VII. ibidem allegatum. Nec obitat, quòd circumstantiæ peccatorum aggravantes, juxta multos Doctores non sint necessariò explicandæ in Confessione Respondetur enim, peccatum externum etiam specie morali differre ab interno; cum prima & generica peccatorum divisio sit in peccata cordis, oris, & operis: unde & aliud moraliter est, voluntas occidendi hominem; & aliud, actualis occisio hominis.

35. Num autem actus exterior & interior sint unum vel duo peccata, eò quòd habeant duplicem malitiam distinctam, est Quaestio magis Theologica, & speculativa. Poteest tamen breviter dici, quòd licet actus exterior & interior sint duo peccata partialia, quatenus uterque actus in se ipso formaliter consideratus habet propriam suam malitiam; nihilominus tamen sint unum peccatum totale, quatenus sunt ad invicem subordinati, & naturaliter connexi: nam actus exterior naturaliter subordinatur interiori, à quo pendet in suo esse, & vicissim actus interior pendet ab exteriori, tanquam ab objecto, & ultimo suo complemento.

Id amplius declaratur.

## QUÆSTIO V.

An detur Actus Indifferens?

36. **A**Dvertendum, quòd per *Actum indifferentem* in proposito intelligatur ille, qui nec bonus est, nec malus in genere moris; ac proinde neque speciali laude & præmio dignus, neque vituperio aut supplicio. Unde Actus indifferentis mediat inter actum moraliter bonum, & inter actum moraliter malum, seu peccaminosum.

Actus indifferentis, quid?

37. CONCL. I. Certum est, plures dari actus etiam in individo, qui nec boni sunt, nec mali, propter inadvertentiam, & defectum actualis deliberationis, ac proinde hac ratione indifferentes; uti sunt, ex inadvertentia & imaginatione quadam movere manum, fricare barbam, levare festucam, &c. & præsertim innumeri tales dantur in pueris. Et tales Actus indifferentes dari, admittit pariter Doctor Angelicus 1, 2, q. 18, art. 9.

Certum est, dari actus indifferentes ob defectum deliberationis.

de



deijs autem non esse quæstionem inter Theologos, notat Scotus in 2. dist. 41. ante solutionem argumentorum, cum defectu deliberationis non sint Actus humani, sed extra genus moris. Igitur loquendo de Actibus humanis liberè, & cum advertentia rationis elicitis, sit

Dantur in-  
super Actus  
humani in-  
differentes;

38. CONCL. II. Dantur insuper Actus humani indifferentes, qui nec boni, nec mali sunt in genere moris, etiamsi liberè & cum advertentia rationis eliciantur. Ita Doctor Subtilis cit. dist. 41. D. Bonaventura 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. Alensis, & quamplures Theologi, quamvis etiam non pauci oppositum teneant. Probatum Conclusio in primis auctoritate S. Hieronymi, Epist. 89. ad S. Augustinum sic scribentis: *Bonum est continentia, malum luxuria: inter utrumque indifferens est ambulare, manibus capitis purgamenta projicere, sputis rheumata jacere: hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Hæc ille. Confirmatur. Quia nulla datur obligatio referendi quemcunque actum in finem honestum; ergo potest dari Actus indifferens. Probatum assumptum: tum quia nullibi legitur talis obligatio, simulque ea admodum foret dura & difficilis naturæ humanæ, ejusque fragilitati, propter innumera hujus vitæ impedimenta, occupationes, atque distractiones. Tum quia alioquin actus ex objecto indifferentes, & in bonum finem non relati, ut putà moderate comedere, ambulare, purgamenta è naribus projicere, &c. non factâ aliâ bonâ intentione, forent hoc ipso mali, & peccata saltem venialia, ac proinde essent materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, & Confessionis: hoc autem est contra praxin prudentum Confessariorum, & communem sensum Fidelium; ergo.

An homo  
teneatur  
omnem ac-  
tum diri-  
gere in fi-  
nem hone-  
stum?

39. Objicitur tamen afferendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Tenetur homo quemcunque actum ex deliberatione procedentem dirigere in finem honestum; ergo nequit dari Actus indifferens, sed erit vel bonus, si dirigatur in finem honestum, vel malus, si non dirigatur. Probatum antecedens: quia tenemur diligere Deum ex toto corde, & in tota anima nostra, Matth. 22. cum concordantijs: atqui hoc præceptum non observat is, qui scienter ac deliberatè exercet actum indifferentem absque ulteriori relatione in Deum. Resp. Negando antecedens: id namque videtur esse contra communem sensum hominum; vix enim ullus est, qui quando lavat faciem, aut exspuit, aliâque similia opera ex se indifferentia exercet,

sogi-

cogitet, se teneri ad apponendum semper bonum finem, non obitante, quod valde consultum, simulque meritorium, & laudabilissimum sic ipsum apponere. Ad probationem antecedentis dicitur, præcepto diligendi Deum super omnia, in hac vita satisfieri certis actibus positivis supernaturalibus, & abstinentiâ ab actibus dilectioni Dei oppositis, simulque observatione mandatorum Dei, juxta illud Salvatoris Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

## QUÆSTIO VI.

Quid requiratur, ut Actus Humani boni sint meritorij vitæ æternæ?

40. **A**dvertendum I. Meritum ut sic benè definiri, dicendo: Meritum, *Meritum est actus laudabilis, exigens aliquo modo collationem præmij.* Dicitur, *actus laudabilis*: quia per actus peccaminosos non meremur præmium, sed potius supplicium. Simulque per hoc indicatur, quod actus meritorius debeat esse liber, & moraliter bonus; nam per ea, quæ naturaliter & necessariò eveniunt, nec laudem meremur, nec vituperium.

41. Advertendum II. Meritum ut sic communiter dividi à Theologis in Meritum de condigno, quod propriè & absolute meritum dicitur; & in Meritum de congruo, quod dicitur meritum secundum quid duntaxat, & cum addito ly, *de congruo.* Meritum de condigno generatim illud est, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio: in quo sensu, loquendo de Merito de condigno vitæ æternæ, dicitur Sapient. 3. *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignosse.* Et Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt,* & alibi. Meritum de congruo illud dicitur, cui licèt desit talis condignitas & æqualitas, adhuc tamen congruum est, ut ex liberalitate remunerantis conferatur ipsi aliquod præmium. Et juxta hæc potest Actus moraliter bonus dividi in Actum meritorium de condigno, & de congruo: quod ut clariùs intelligatur, sit

42. **CONCL. I.** Ad Meritum de condigno vitæ æternæ, præter bonitatem moralem ipsius actus, requiritur insuper ex parte operantis Status vitæ, & Status gratiæ sanctificantis; ac proinde ad actum bonum de condigno meritorium vitæ æternæ hæc duo requiruntur necessariò. Ita certa, & communis Theologorum.

Ad meritum de condigno, ex parte operantis requiritur Status vitæ, & Status gratiæ.

E

43. Ubi

Status viæ,  
& Status  
gratiæ,  
quid?

43. Ubi sciendum, quòd per *Statum viæ* intelligatur decursus viæ præsentis, juxta phrasin Sacræ Scripturæ, quæ præsentem vitam appellat peregrinationem *2. Corinth. 5. ibi: Quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, & alibi. Per Statum gratiæ* verò intelligitur status gratiæ habitualis, seu sanctificantis; id est, quòd quis sit constitutus in gratia sanctificante, per quam homo defacto fit amicus Dei, ejusque filius adoptivus, & dignus vitâ æternâ. Et in tali Statu gratiæ defacto nullus est, quicumque habet peccatum mortale, sive originale, sive actuale nondum remissum; nam gratia habitualis, & peccatum defacto repugnant, sicut lux & tenebræ. Hoc prænotato probatur prima pars Conclusionis, quòd nempe Status viæ requiratur ad Meritum de condigno vitæ æternæ. Sic enim *2. Corinth. 6. dicitur: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et Joan. 9. Venit nox (id est, mors) quando nemo potest operari; intellige, meritorie.*

Sancti in  
ecclis sibi  
nihil ampli  
us merentur,  
nec  
Damnati  
demerentur.

44. Infertur proinde, quòd Sancti in coelis defectu hujus conditionis (id est, quia non amplius sunt viatores) per intensissimos actus amoris Dei nihil amplius sibi mereantur; quamvis possint pro nobis intercedere, suæque intercessione quidpiam nobis impetrare à Domino Deo. Similiter Animæ in Purgatorio nihil amplius merentur in ordine ad augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis, per tolerantiam suarum poenarum, quamvis satisfacere, seu potius satisfacere possint pro suis peccatis. Et contra Damnati in inferno, licet continuo blasphemant Deum, non promerentur novum supplicium (eò quòd amplius non sint viatores) sed pro peccatis in hac vita commissis duntaxat æternaliter torquentur.

Requiri Statum  
gratiæ  
ad meritum  
de condigno,  
probatum.

45. Altera pars Conclusionis, quòd nempe ad Meritum de condigno requiratur Status gratiæ, est etiam certa inter Catholicos. Ratio est: quia propter impedimentum peccati mortalis nullus potest de condigno mereri vitam æternam; peccatori enim non debetur vita, sed mors, juxta illud *Rom. 6. Stipendium peccati mors.* Accedit, quòd quis per peccatum mortale constituatur inimicus Dei; ac proinde hoc ipso sit indignus amicitia, donisque ipsius, præsertim supernaturalibus. Hinc sequitur, quòd peccator, quamdiu persistit in statu peccati mortalis, per elemosinas & alia opera bona tunc temporis peracta, nullum promereatur augmentum gloriæ cœlestis, neque aliud donum supernaturale de condigno: quamvis non idcirco ejusmodi bona opera sint prorsus inutilia, propter dicenda in secunda Conclusionem.

Corollarium.

46. Et conformiter dictis Opera moraliter bona à Theologis communiter dividuntur in Opera mortua, mortificata, & viva. Opera bona viva, sunt opera moraliter bona in statu gratiæ facta, quæque per nullum peccatum mortale subsequens mortificantur. Opera mortificata, sunt opera moraliter bona, quæ quidem fuerunt facta in statu gratiæ, adhuc tamen per peccatum mortale subsequens mortificantur; id est, impediuntur, ne habeant suum valorem promerendi vitam æternam stante ejusmodi peccato mortali. Cæterum si homo per veram pœnitentiam denuò justificetur, tunc hujusmodi merita bonorum operum per peccatum mortale mortificatorum iterum in hominis justificatione reviviscunt, id est, recuperant suum pristinum valorem promerendi vitam æternam in coelis. Opera bona mortua dicuntur ea, quæ fiunt in statu peccati mortalis; peccatum enim mortale est mors animæ. Et talia nunquam reviviscunt in ordine ad meritum vitæ æternæ quondam in coelis consequendum; eò quòd illud, quod nunquam antea vixit, nequeat posterum reviviscere.

Opera bona viva, mortificata, & mortua, declarantur.

47. CONCL. II. His tamen non obstantibus, Opera bona in statu peccati mortalis facta non sunt penitus inutilia, nec idcirco ab homine intermittenda. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio est: quia imprimis hujusmodi Opera bona sunt meritoria, saltem de congruo, quarundam gratiarum actualium, seu auxiliorum supernaturalium, quibus ejusmodi homo faciliùs perducitur, atque excitatur ad agendam veram pœnitentiam de peccatis, ut sic justificetur, & in statum gratiæ restituatur. Deinde solent ejusmodi homines per Dei misericordiam præservari à nonnullis periculis labendi in peccata graviora; aut clementer protegi, ne toties labantur, & sic in altera vita graviùs puniri non mereantur. Tertiò hujusmodi homines sensim assuefiunt exercitio bonorum operum, ac deinde faciliùs de peccatis commissis agunt pœnitentiam; & postmodum in statum gratiæ restituti constantius persistunt in continuandis, agendisque alijs bonis operibus.

Opera bona mortua, seu in statu peccati mortalis facta, ad quid proficiunt?

48. Et hujusmodi effectus bonorum operum licet in statu peccati mortalis peractorum, certè non sunt modici; quamvis omnibus viribus cuique sit allaborandum, ut Divinâ gratiâ adjuvante vel nunquam labatur in peccatum mortale, vel si per fragilitatem humanam ceciderit, citiùs per veram pœnitentiam resurgat, sicque bona opera sua evadant meritoria de con-

Corollarium.

## DISTINCTIO III.

### De Conscientia ut Regula Actuum Humanorum.

#### QUÆSTIO I.

De natura, & divisione Conscientiæ ut sic; ubi &  
de Conscientia recta, seu certa.

Conscien-  
tia, unde  
sic dicta?  
(a) *Dist.*  
2. n. 5.

1. **C**onscientia, quæ est regula proxima actionum huma-  
narum, juxta dicta superius (a) sumitur hic pro judicio  
practico intellectûs, proponente quidpiam homini ut  
bonum vel malum moraliter, ac proinde prosequendum vel  
fugiendum: ipse enim actus intellectûs practici, quo judicat  
aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris,  
vocatur *Conscientia*. Dicitur autem *Conscientia*, quali *Cordis scientia*,  
ut advertit D. Bernardus *lib. de Conscientia, c. 8.* & partim se ex-  
tendit ad opera nostra præterita, ea vel accusando tanquam ma-  
lè facta, & dicitur *Remorsus conscientia*; vel commendando tan-  
quam benè facta, & appellatur ab Apostolo 2. Corinth. 1. *Testi-*  
*monium conscientia nostra*: partim verò respicit opera instantia seu  
futura dictando, quæ agenda sint tanquam bona seu honesta,  
quæque omittenda tanquam turpia seu inhonesta, & dicitur  
alio nomine *Dictamen recta rationis*.

Remorsus  
conscien-  
tiæ, & Te-  
stimonium  
ejus, quid?

Conscien-  
tia, quid?

2. **CONCL. I.** *Conscientia* est actus intellectûs practici, judican-  
tis aliquid hîc & nunc agendum esse vel fuisse tanquam bonum  
honestum, aut fugiendum esse vel fuisse tanquam turpe & inho-  
nestum. Ita Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 2.* quæ definitio in re est  
communis: quamvis *Conscientia* quandoque etiam accipiatur  
pro habitu intellectûs, id est, pro habituali dictamine intellectûs,  
quo cognoscitur hîc & nunc operationem faciendam, esse bo-  
nam, aut malam moraliter.

3. Con-

3. CONCL. II. Conscientia hactenus explicata communiter dividitur in quinque membra. scilicet in Conscientiam rectam, erroneam seu falsam, dubiam, probabilem seu opinativam, & scrupulosam. Ratio hujus divisionis est: quia Conscientia nihil aliud est, nisi iudicium practicum intellectus, dictans, quid hic & nunc à nobis sit agendum, vel non agendum, juxta regulas morum extrinsecas: atqui intellectus sic iudicando, quandoque est certus in suo iudicio, & dicitur *Conscientia recta*, seu certa: aliquando errat, & dicitur *Conscientia erronea*: quandoque probabiliter iudicat, & vocatur *Conscientia probabilis*, seu opinativa: interdum vero dubitat, ac neutri parti determinatum præbet assensum, & est *Conscientia dubia*: & tandem quandoque scrupulis agitatur. & dicitur *Conscientia scrupulosa*. Loquendo nunc de altera parte Quæstionis, sit

Dividitur in quinque membra.

4. CONCL. III. *Conscientia recta*, seu (ut alij loquuntur) certa & vera, rectè definitur, quòd sit dictamen verum intellectus, dictans absque ulla formidine de opposito, quod faciendum est esse bonum vel malum. Ita in re communis. Et quidem, si hujusmodi dictamen practicum intellectus sit rectum, ac verum tam speculativâ, quàm practicâ veritate, tunc hujusmodi Conscientia dicitur omnimodè recta seu vera. Si autem sit rectum, seu verum veritate duntaxat practicâ, non autem speculativâ, tunc hujusmodi Conscientia dicitur solum practicè vera: quæ divisio Conscientiæ rectæ ut intelligatur:

Conscientia recta quid t

5. Notandum, quòd *Veritas speculativa* sit veritas simpliciter & absolutè sumpta, prout objectum est in re: & hoc modo illud duntaxat iudicium intellectus est verum, quod est conforme objecto, ut se habet à parte rei; id est, quod ita iudicat de objecto, prout ipsum reverà se habet à parte rei. *Veritas practica* dicitur illa, quæ fundatur in prudenti ac firma exiimatione rei, ex gravibus motivis orta.

Veritas duplex speculativa & practica.

6. Hinc infertur, quòd *Conscientia tam practicè, quàm speculativè recta*, sit dictamen intellectus, dictans absque ulla formidine de opposito, aliquid hic & nunc esse honestum, ac proinde prosequendum, quod reverà à parte rei honestum est: prout fit in innumeris actibus bonis atque honestis. qui ut tales proponuntur ab intellectu voluntati, atque reverà à parte rei sunt honesti. *Conscientia solum practicè recta*, est dictamen verum veritate duntaxat practicâ, id est, desumptum ex prudentibus motivis, dictans absque ulla formidine de opposito, hoc esse honestum & faciendum,

Conscientia recta duplex.



dum, quod tamen reverà à parte rei non est tale. Exemplum hujus habemus Gen. cap. 29. cum Jacob Patriarcha optimâ fide, & conscientia rectâ, ad Liam accessit, ita secum discurrens: *Honestum est, accedere ad propriam uxorem: hæc est mea uxor* (uti prudenter arbitrari debebat Jacob, cum non nisi temerè de mala fide Labani, supponentis sibi pro Rachele Liam, suspicari potuisset) *ergo honestum est, ad hanc accedere*: quod tamen à parte rei non erat, cum Lia pro tunc non fuerit ejus legitima uxor, sed Rachel.

Quomodo differat à probabili?

7. Porro cum in definitione Conscientiæ rectæ additur, *absque ulla formidine de opposito*, per hanc particulam Conscientia recta seu certa differt à Conscientia probabili, utpote quæ non habetur sine ulla formidine de opposito; prout ex dicendis infra *Quæst. 4.* patebit.

Quanta sit obligatio Conscientiæ rectæ?

8. Quæres, quanta sit obligatio Conscientiæ rectæ seu certæ, quidpiam præcipientis, aut prohibentis? Resp. certum esse, Conscientiam rectam seu certam adeò obligare hominem, ut is delinquat atque peccet, nisi illam in operando sequatur, quando præscribit aliquid ut faciendum vel fugiendum sub præcepto, & non tantum sub consilio. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia voluntas peccat, si in operatione non sequatur suam regulam proximam: atqui Conscientia, præsertim recta, est regula proxima voluntatis operantis, seu actionum ejus; ergo peccat voluntas, nisi Conscientiam rectè præcipientem, aut prohibentem, in operando sequatur. Dicitur autem in responsione, *& non tantum sub consilio*. Quia si Conscientia recta quidpiam duntaxat proponat agendum per modum consilij, non autem præcepti, sicuti non obligamur sub peccato ad adimplenda omnia consilia (quamvis eadem sequi sic melius, & consultius) ita nec sub peccato tenemur sequi Conscientiam rectam, quidpiam sub consilio duntaxat proponentem; ut certum est.

## QUÆSTIO II.

De Conscientia erronea, ejusque obligatione.

Conscientia erronea, quid?

9. **C**ONCL. I. *Conscientia erronea est illa, quæ dicit aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod reverà tale non est, absque fundamento probabili.* Et dicitur, *absque*

que fundamento probabili, ad differentiam Conscientiae probabilis, quae quandoque etiam dicitur aliquid esse honestum seu licitum, quod à parte rei est inhonestum ac illicitum; & tamen, quia id colligitur ex motivis probabilibus, non dicitur Conscientia erronea, sed probabilis.

10. Si quaeratur, an Conscientia practice duntaxat recta, possit dici erronea, nec ne? Resp. cum Mastrio *disp. 1. Theolog. Moral. num. 14.* hanc esse quaestionem de nomine; nam hujusmodi Conscientia potest dici & recta, & erronea, sub diverso tamen respectu. Recta quidem respectu voluntatis, quia prudenter eam dirigit, quantum satis est, ut ipsa non peccet; & haec dicitur *Rectitudo practica*. At respectu objecti potest dici erronea, quia re ipsa errat circa objectum, putans esse honestum, quod tamen à parte rei tale non est.

Conscientia  
practice  
duntaxat  
recta an sit  
erronea?

11. CONCL. II. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, & vincibilem. Ita communis. *Conscientia erronea invincibilis* est, cujus error adhibitâ diligentiam morali vinci, seu vitari non potuit; ideoque nec voluntarius est, nec ad culpam imputatur; talis fuit in Jacob Patriarcha accedente ad Liam. *Conscientia erronea vincibilis* est, cujus error, moraliter loquendo, vitari potuit, & debuit; ac proinde indirectè voluntarius, atque culpabilis existit. Unde colligitur, hanc divisionem Conscientiae erroneae in invincibilem ac vincibilem, multum coincidere cum divisione Ignorantiae in invincibilem & vincibilem, de qua (b) *Dist. 1. superius* (b) etenim prior procedit ex Ignorantia invincibili, posterior autem ex vincibili.

Conscientia  
erronea in-  
vincibilis,  
& vincibilis,  
quid?

12. CONCL. III. Conscientia erronea quaecunque, sive vincibilis sit, sive invincibilis, praecipiens aliquid ut agendum vel fugiendum, obligat negativè, ne videlicet contra eam operemur; ac proinde operari contra ejusmodi Conscientiam erroneam nondum depositam, semper est peccatum. Ita certa, & communis Theologorum. Nam juxta illud Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide (id est ex dictamine conscientiae) peccatum est.* Et, ut inquit Innocentius III, *c. Litteras, de Restit. spoliat: Quidquid sit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.* Accedit ratio: quia voluntas operans contra Conscientiam erroneam, verè consentit in malum, habetque sufficientem affectum ad peccatum, quod apprehendit. Nec obstat, quòd Conscientia illa sit erronea. Nam hoc ipso, quòd error ejus non cognoscatur, agere contra ipsam est peccatum: ita enim Conscientia illa proponit in apprehensione

Conscientia  
erronea  
quaecunque  
obligat ne-  
gativè, &c.



sione operantis, objectum esse faciendum aut fugiendum, ac si re ipsa sic se haberet.

Corollaria  
ex dictis.

13. Ex dictis inferitur, quod putans esse jejunium de præcepto, quando non est, peccet contra Temperantiam, si non jejunet, nisi Conscientiam suam erroneam, melius investigando veritatem, deponat. Similiter, si quis erroneè putet, mentiri officiosè in tali casu esse peccatum mortale, ac nihilominus mentiatur, peccat mortaliter, quamvis cæteroquin tale mendacium sit solum veniale. Insuper sequitur, quod operans contra Conscientiam erroneam, sive vincibilem, sive invincibilem, peccet in ea specie peccati, & contra illam virtutem, sicuti intellectus falsò judicat: v. g. in prædictis duobus casibus prior peccat contra virtutem Temperantiæ, alter in specie mendacii mortalis. Item si quis erroneè existimet, se peccaturum mortaliter, operando contra hanc Conscientiam erroneam, peccabit mortaliter; si venialiter, venialiter: quod si Conscientia dicat peccatum in genere, non descendendo ad aliquam speciem ejus, erit peccatum in genere, & ad nullam particularem peccati speciem pertinebit. Siquidem tota malitiæ hujus ratio consistit in hoc, quod quis operetur contra dictamen suæ Conscientiæ; ergo talis & tanta erit malitia, qualem & quantam Conscientia dicat.

Actio debet  
esse libera,  
ut quis pec-  
cet agendo  
contra Con-  
scientiam  
erroneam.

14. Notandum tamen cum Sanchez *lib. 1. in Decalogum cap. 11. num. 3.* & alijs, ad hoc, ut quis contra Conscientiam erroneam agendo peccet, necessarium esse, ut actio ipsius sit libera. Hinc si quis in carcere v. g. conbiturus existimet, se peccare Missam non audiendo, non idèo peccat: similiter non delinquit scrupulosus, cum involuntarias suas passiones, aut in oratione distractiones, peccata esse arbitratur. Ratio est clara: quia ad omne peccatum requiritur libertas.

Ad hanc  
non sufficit  
solus scru-  
pulus,

15. Adde etiam cum Navarro *in Manuali, Præudio 9. n. 9.* & Doctoribus communiter, quod ad huiusmodi Conscientiam erroneam inducendam non sufficiat solus scrupulus in genere, vel in particulari. Hinc si quis faciat opus licitum, quod credit ei licere, non peccat, licet angatur scrupulo aliquo in contrarium: quia scrupulosus, quamvis aliquo modo angatur, ac vereatur hic latere peccatum, non tamen determinatè sic judicat, imò potius oppositum credit esse verum. Quod si tandem Conscientia erronea sit duntaxat consulens, vel permittens sicut non est peccatum agere contra consilium, ita nec foret peccatum agere contra istam Conscientiam.

16. CONCL. IV. Conscientia invincibiliter errans, præcipiens aliquid ut agendum aut fugiendum, non solum obligat negativè, ne scilicet contra eam operemur, juxta proxime dicta; sed obligat etiam positivè, ut ipsam sequamur, ut proinde quis peccet, nisi dictamen illius in operando sequatur. Ita Scotus 2. in Reportatis, dist. 39. Mastrius disp. 1. Theol. Moral. n. 19. & communis Theologorum. Ratio est: quia ex quo Conscientia est invincibiliter errans, taliter, ut nullâ morali diligentia vinci ac deponi possit, ita ipsa se habet in prudenti ac inculpabili æstimatione operantis, ac si esset simpliciter, & absolutè recta; ergo tenetur quis eam sequi, non minus, ac Conscientiam rectam seu certam.

Conscientia invincibiliter errans, obligat etiam positivè.

17. Inferitur proinde, quòd si quis mentiatur ad liberandum proximum è periculo vitæ, ob Conscientiam invincibiliter errantem putans, se ex misericordia ad id teneri, is actum bonum faciat; & si non mentiatur, peccet contra virtutem Misericordiæ. Dicitur notanter, ob Conscientiam invincibiliter errantem putans, &c. nam si Conscientia illa erronea fuisset vincibilis, aliud esset dicendum, juxta Conclusionem sequentem.

Corollarium.

18. CONCL. V. Econtrà Conscientia vincibiliter duntaxat errans, proponens aliquid ut præceptum, quòd reverà prohibitum est, aut econtrà, non solum non obligat positivè, ut eam sequamur, sed neque licitè ipsam sequi possumus; obligat tamen, ut eam deponamus. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia ex una parte agere contra Conscientiam erroneam, est peccatum, ut patet ex dictis *num. 12.* ex altera verò parte Conscientia talis erronea, utpote vincibilis, non excusat à peccato; ergo qui eam sequitur, reverà peccat, & qui contra eam necdum depositam operatur, etiam peccat.

Conscientia vincibiliter errans obligat, ut eam deponamus, &c.

19. Superest proinde, quòd quis obligetur ad deponendam Conscientiam suam erroneam vincibilem. Et hæc quidem obligatio tanta est, ut in ejusmodi casu, stante tali Conscientiâ erroneâ vincibili, quamcunque tandem partem quis elegerit, sit peccaturus: nam si facit id, quod reverà à lege præceptum est, operabitur contra Conscientiam suam oppositum dictantem; sin minus, sed sequatur dictamen Conscientiæ suæ, peccabit contra legem, à qua non absolvitur per errorem suæ Conscientiæ, utpote merè vincibilem & culpabilem.

Alioquin peccabit operans, quamcunque partem elegerit.

20. Nec dicas, posse hominem in tali occasione constitui, ut non possit suam Conscientiam vincibiliter errantem deponere;

Solvitur instantia.

F

prout

prout v. g. contingeret, si alius non adlit, à quo possit consilium petere, rei que veritatem ediscere, ipse vero semetipsum adjuvare non valeat. Resp. enim cum Mastro *disp. 1. Theol. Morak. n. 34.* & aliis, in huiusmodi casibus Conscientiam illam reverà reddi invincibilem; siquidem qui illam habet, non potest hic & nunc eam superare atque deponere, ac proinde sequendo illam non peccabit, prout dictum est *num. 16.* loquendo de Conscientia invincibiliter errante.

Conscientia  
erronea,  
quomodo  
sit depo-  
nenda?

21. Quòd si quis quærat, quomodo Conscientia erronea sit deponenda? Resp. Quando Conscientia erronea est vincibilis, eam facile deponi posse, dummodò quis debitam adhibeat diligentiam in investigando rei veritatem, illudque attentius consideret, in quo se falli suspicatur, discurrendo ex primis principiis practicis ad suum errorem agnoscendum. Idem, & quidem facilius fieri potest, adhibendo consilium prudentioris, juxta illud *Prov. 13. Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientià.* Et *Ecclesiastici 32. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non poenitebis.* Cæterum Conscientia erronea invincibilis, hoc ipso, quòd sit invincibilis, moraliter deponi nequit; nam ad libitum, & sine ulla ratione, non nisi temerè deponeretur.

Notabilis  
objectio; &  
quomodo  
Lex Divina  
nullum red-  
dat perple-  
xum.

22. Obiicies contra IV. & V. Conclusionem simul. Lex Divina nullum reddit perplexum; atqui hoc fieret, si Conscientia erronea sive vincibilis, sive invincibilis, semper obligaret negativè, ne scilicet voluntas contra ipsam agat; ergo Conscientia erronea non sic obligat. Major est certa, & ab omnibus concessa: quia Lex Divina nunquam facit, quòd homo necessariò peccet, ita ut peccatum evadere non possit; nam hoc ipso jam non committeretur peccatum defectu libertatis. Minor verò probatur: potest enim quis ex Conscientia erronea exitimare, utramque partem contradictionis esse peccatum; prout fieret, si quis die Festo assistens moribundo exitimaret, esse peccatum mortale, tali die omittere auditionem Sacri, ac vicissim esse peccatum mortale in tali extrema necessitate deserere moribundum; ergo. Ad hanc objectionem satis notabilem, & quæ variè proponi, atque urgeri potest, Resp. concessã majori, negando minorem, ejusque probationis consequentiam: nam si ejusmodi Conscientia erronea sit vincibilis, tenetur homo eandem deponere juxta proximè dicta, & tunc alterutrum eligere, quod iudicat hic & nunc esse faciendum; videlicet (loquendo de præmissò casu) audire Missam, si adsint alij, qui commodè

pos.

possunt moribundo assistere, atque inservire; vel, si hi non ad-  
sint, omittere Missam, & moribundo assistere, ob rationes mox  
dicendas.

23. Quòd si verò Conscientia erronea sit invincibilis, & talis,  
quam deponere quis nequeat discurrendo per prima principia  
practica, vel petendo consilium à Doctioribus; tunc tenetur ho-  
mo in ejusmodi casu constitutus eligere illud, quod sibi minus  
malum apparet, & hoc faciendo non peccabit. *arg. c. Duo mala. dist.*  
*13. c. 6. Intra vit David. 22. q. 4.* At verò si eligat illud, quod gravius  
peccatum esse judicaverit, peccati reus erit; ut communiter no-  
tant Doctores. Ratio est: quia omne peccatum non ex necessi-  
tate, sed ex libertate admittitur; ergo cum hic & nunc (juxta da-  
tam hypothesin) necessariò sit unum eligendum ab homine, non  
libertate, sed necessitate eligit minus, sicque non peccat: pecca-  
ret autem eligendo majus, quia potest excessum malitiæ ejus vi-  
tare eligendo id, quod sibi minus peccatum apparet.

24. Si autem in tali casu constitutus discernere, atque judi-  
care ex perplexitate aut alia causa non possit, quodnam illorum  
sit minus malum sive peccatum, sed in utroque actu parem ap-  
prehendat malitiam; homo ille non peccabit, quidquid egerit  
ex utroque; quia nemo peccat necessitate. Exemplum hujus  
proximè præmissum est. Aliud cum Laymano *lib. 1. tract. 1.*  
*cap. 4. num. 4.* addi potest de Parocho: nam si Parochus ad Eccle-  
siam Festo die veniens, sacrificaturus pro populo, recordetur se  
jejunum non esse, nec alius Sacerdos tunc accersiri possit, qui  
celebret (in quo casu Parochus videtur perplexus: si enim ce-  
lebrem, cogitat ipse, peccabo adversus reverentiam Sacramen-  
ti, propter legem Ecclesiæ: si autem non celebrem, peccabo  
contra legem Charitatis, propter scandalum populi) profectò  
in tali casu, si scandalum aliter evitari non potest, ut supponi-  
tur, Parochus celebrare deberet; cum lex Ecclesiastica cedat  
maiori legi Charitatis naturalis: si tamen hanc ipsam veri-  
tatem præ inopinata perturbatione perspicere nequeat, nec  
alium habeat, à quo edoceatur, non peccabit Parochus,

licet Sacrificio abstineat cum scandalo  
populi.

Quid agen-  
dum, quan-  
do utraque  
contradicti-  
onis pars  
pariter esse  
peccatum?

Quid, si  
quis nesciat  
discernere,  
ubi sit mi-  
nus malum?

## Q U Æ S T I O III.

## De Conscientia dubia, ejúsque obligatione.

Conscientia  
dubia,  
quid?

25. **C**ONCL. I. Per *Conscientiam dubiam* intelligitur ea, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet inter utramque; v. g. an hoc sit licitum, vel non licitum; peccatum, nec ne? Unde Dubium in præsentem accipitur proprie, nempe pro eo, quod contingit, quando intellectus inter duas partes oppositas hæret suspensus, adeo quod neutri determinatum præbeat assensum.

Dividitur  
variè juxta  
variàm Du-  
bij divisio-  
nem.

26. **C**ONCL. II. Conscientia dubia variè dividitur, juxta variam scilicet Dubij divisionem. Hinc, quia Dubium imprimis dividitur in practicum, & speculativum; etiam Conscientia dubia communiter dividitur in Conscientiam practicè dubiam, & speculativè dubiam. *Dubium speculativum* dicitur illud, quando dubitatur de veritate; id est, quando dubitatur de aliquo, non quærendo directè de praxi, seu actione humana, num ea licita sit nec ne, sed de quodam alio, an ita se habeat, nec ne v. g. si dubito, utrum Baptismus collatus in nomine Christi tantum, sit validus; utrum tali die sit jejunium, nec ne; utrum fundus, quem possideo, verè sit meus; utrum votum castitatis emiserim; utrum matrimonium, quod contraxi, sit validum; utrum bellum, in quo milito, sit justum, &c. Hæc enim omnia, & alia his similia, spectant ad Dubium speculativum: quia in ipsis directè ac immediatè non quæritur de praxi, seu actione humana, an ea sit licita nec ne, sed de quodam alio, ut patet; non obstante, quòd ex tali Dubio speculativo multa postmodum Dubia practica oriri possint. Et juxta hoc *Conscientia speculativè dubia* est intelligenda, quòd nempe sit ea, quæ dubitat de aliquo, non tamen quærendo directè ac immediatè de praxi, seu actione humana, utrum ea licita sit nec ne, sed de aliquo alio; ut fit in allatis exemplis.

Dubium  
speculati-  
vum, &

Conscientia  
speculativè  
dubia, quid?

Dubium  
practicum,  
&

27. *Dubium practicum* est, quando dubitatur de operatione; id est, Practicum dubium dicitur illud, in quo directè quæritur de ipsa praxi, seu actione humana, num ea in talibus circumstantiis sit licita, nec ne? v. g. an hodie tenear jejunare, an sim obligatus hac die audire Missam, vel confiteri? an tenear restituere fundum, quem habeo, &c. Et huic Dubio practico correspon-

det

det *Conscientia practicè dubia*; estque illa, quæ dubitat immediatè de praxi, seu actione humana, utrum ea licita sit, nec ne; prout fit in allatis exemplis, & alijs hujusmodi.

Conscientia  
Practicè du-  
bia, quid?

28. *Dubium practicum* subdividitur à nonnullis Theologis in generale, & particulare. *Dubium practicum generale*, seu universale, dicitur illud, quando dubitatur in genere, an hæc, vel illa actio sit licita; v. g. an per se loquendo liceat ad Beneficium Ecclesiasticum eligere minùs dignum relicto digniore; an liceat die Festo bellare, piscari, pingere, &c. *Dubium practicum particulare* (quod propriè practicum, seu practicè practicum appellatur) censetur illud, quando in particulari dubitatur, utrum hic & nunc licita sit talis actio, nec ne; v. g. an hodie excuser à jejunijs ob certas circumstantias, nempe ob aliqualem infirmitatem, iter, labores susceptos, &c. Et juxta hoc etiam Conscientia practicè dubia subdividi potest.

Dubium  
practicum  
duplex, ge-  
nerale,

Et particu-  
lare, seu pra-  
cticè practi-  
cum.

29. *Dubium* ulterius à Theologis subdividitur in positivum, & negativum. *Dubium positivum* tunc contingit, quando quis habet pro utraque parte judicium probabile, quòd aliquid sit, & etiam quòd non sit. Et juxta hoc tunc dicitur *Conscientia nostra positivè dubia*, quando pro utraque parte occurrunt rationes æquè probabiles, adeò ut intellectus in neutram partem judicium suum inclinet, sed videns rei difficultatem, ac rationes utrinque pugnantes, in suo judicio maneat suspensus. *Dubium negativum* est, quando quis pro neutra parte habet rationes probabiles, & sic remanet suspensus neque affirmando, neque negando, quòd talis actus sit licitus, aut illicitus. Et hoc modo etiam *Conscientia negativè dubia* est explicanda.

Dubium  
positivum,  
& negati-  
vum, ac

Conscientia  
positivè, &  
negativè  
dubia, quid?

30. CONCL. III. Cum Conscientia verè practicè dubia semper est illicitum operari; id est, semper est peccatum, operari stante Conscientia verè ac propriè practicè dubia, quæ nempe quis dubitat, an in particulari illud sit peccatum, nec ne, quod operatur. Ita Scorius *Quæst. 2. Prologi, in fine, & in 4. dist. 30. q. 1. §. Dico ergo*; estque communis Doctorum. Ratio est: qui operatur cum Dubio propriè practico, seu (ut alij loquuntur) practicè practico, manifestè se exponit periculo peccandi; ergo etiam peccat, juxta illud Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Confirmatur Conclusio ex illo Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: atqui illud, quod fit cum Conscientia practicè dubia, non est ex fide, id est, ex dictamine Conscientiæ; ergo est peccatum.

Cum Con-  
scientia  
practicè du-  
bia illicitum est ope-  
rari.

It operans  
cum ea pec-  
cat pro qua-  
litate dubij,

31. CONCL. IV. Operans cum Conscientia practicè dubia, peccat pro qualitate dubij, & in ea specie peccati, de qua dubitat: ita ut si dubitet, an peccet mortaliter, agendo mortaliter peccet; si venialiter; peccet venialiter; si dubitet, an in specie furti delinquat, operando malitiam furti contrahat, & sic loquendo de alijs. Ita rursus Scotus *loc. cit.* & communiter Doctores. Ratio est: quia operans cum tali dubio practico, exponit se periculo transgrediendi præceptum tale vel tale, & peccandi in ea specie peccati, de qua dubitat; ergo etiam malitiam ejus contrahit. Probatur Consequencia: quia juxta illud allegatum, *Qui amat periculum, peribit in illo*: atqui talis exponit se periculo peccandi in tali specie peccati; ergo operando cum tali periculo perit in ipso, id est, peccat in tali specie peccati. Et hoc Doctores passim extendunt ad casum, quo cuiquam in confuso proponitur aliquod opus peccaminosum à Conscientia, sub dubio tamen, an sit mortale vel veniale: nam exequens tale opus tunc illo dubio practico (sermo est de dubio propriè practico, & non de simplici anxietate, vel scrupulo) peccat mortaliter; quia operans cum tali dubio practico, exponit se periculo peccandi mortaliter. Concordant in simili dicta superius *num. 13.* de Conscientia erronea.

Loquendo  
tamen de  
dubio propriè Practico,

32. Additur notanter, *sermo est de dubio propriè practico, &c.* Nam dicta in hac utraque Conclusionem, intelligenda sunt de vero & propriè dicto dubio practico; id est, de tali, quo quis verè ac in particulari dubitat, an hoc vel illud sit peccatum mortale vel veniale, ita quòd habeat verum judicium suspensum, neque illud deponat. Nam si quis non verè dubitet, sed solum patiat quosdam timores, anxietates, aut scrupulos, qui sæpè etiam hominem nolentem affligunt, non peccabit operando contra illos; præsertim si hoc faciat ex ratione aliqua probabili, vel sequendo consilium Confessarij, aut aliorum doctorum, prout magis dicitur infra *Quest. 5.* agendo de Conscientia scrupulosa.

Cum con-  
scientia solum specu-  
lative dubia, seu practice de-  
posita, non est  
illicitam  
operari,

33. CONCL. V. Nihilominus operari cum Conscientia solum speculative dubia, non semper est peccatum; etenim si tale dubium ex rationabili fundamento practicè deponatur, peccatum non est facere aliquid, vel omittere cum dubio speculativo. Ita Doctor noster *in 4. dist. 30. q. 1.* estque rursus communis Doctorum. Ratio est: quia regula nostrarum actionum non est notitia speculativa, quæ in sola objecti veritate cognoscenda consistit, sed practica, quæ omnium circumstantiarum qualitatem &

& conditionem perpendit: atqui objectum, quod secundum se & speculative consideratum apparet dubium, accedentibus certis circumstantiis potest reddi practice certum, quod liceat; ergo.

34. Declaratur Conclusio exemplis. Sic in primis, si quis dubitet speculative, an res, quam possidet, sit sua nec ne, non obitante ejusmodi dubio speculative, potest practice judicare, sibi defacto licitum esse rem illam retinere, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis: sicque licite, & absque peccato rem illam retinebit. Similiter Sacerdos ægrotus, qui considerata qualitate morbi sui speculative dubitat, an sibi liceat à Divini Officij recitatione abstinere, accedente Medici vel Confessarij consilio practice est certus, id sibi licere: unde deposito practice illo dubio suo, non peccabit omittendo Divinum Officium. Insuper miles, si speculative dubitet de justitia belli, potest hoc dubium practice deponere, atque ad mandatum sui Principis vel Ducis in eo militare, eo quod in dubijs standum sit judicio Superiorum, simulque sibi à suo Principe hic & nunc pugna præcipitur: & taliter deponens dubium suum speculative, non peccabit militando. Idem dicendum de innumeris alijs casibus.

35. Quæres, quomodo sit intelligendum illud commune dictum, *In dubijs tutior pars est eligenda*, prout desumitur ex jure Canonico *c. Juvenis de Sponsalib. c. 6. Ad audientiam. de Homicidio*, & alibi. Resp. I. Per hoc axioma non intendi, quod in omni materia, omnique dubio, etiam merè speculative, semper sit eligenda tutior pars; nam dubium speculative potest ex rationabili fundamento practice deponi, sicque cessat dubium: quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem. Sylvester *Opinio. q. 1.* Quinimò in certis materijs possumus etiam eligere partem minus tutam relicta tutiore, prout ex professo dicitur *Quaest. sequenti.* Resp. II. cum Ludov. Engel, *tit. De Voto. n. 3.* & alijs, hanc regulam plerumque esse tantum de consilio, & non de præcepto, nisi quis in dubio practice perseveret, neque ad ejus depositionem sese resolvere possit: tunc enim non licet agere cum tali Conscientia practice dubia, sed debet eligi pars tutior, juxta dicta *num. 30. & 31.* Alij respondent, dictum illud procedere in dubio negativo, ac proprie dicto, quando nimirum pro neutra parte adsunt ullæ rationes, vel saltem non sufficientes, cur unam præ altera amplecti debeamus; secus autem esse in dubiis positivis, quando utrinque sunt rationes probabiles. Et hac ratione pro nunc potest responderi ad

Declaratur  
hoc exem-  
plis.

In dubijs  
tutior pars  
est eligen-  
da, quomo-  
do?

cita-



citatos textus Juris : nam exactior illorum Capitulorum explicatio spectat ad Interpretes Juris Canonici.

Corollaria  
practica.

36. Et haec tenus dictis inferitur, si quis dubitat, utrum aliqua actio sit peccatum nec ne, videt autem, omittendo talem actionem nullatenus se peccaturum, quod is teneatur perseverante tali dubio abstinere ab illa actione; alioquin enim peccaret. Quod si verò Conscientia dubia existat de utraque contradictionis parte, ita ut quis dubitet, an ipsa actio sit peccatum, aut potius ejus ommissio. tunc tutior pars sic debet eligi, quod dubitans adhibeat diligentiam, quam potest, ad dubium prudenter deponendum, petendo videlicet consilium à doctioribus, vel ex se discurrendo, Deumque rogando, ut se dignetur illuminare: hoc enim est tutius, utpote cum in depositione talis Conscientiæ dubiæ nullum subit periculum peccandi. bene tamen in executione aut omissione actus durante tali dubio. Si autem adhibitis præfatis mediis pro neutra parte possit quis dubium deponere, eligat illam partem, in qua minus mali sibi apparet; quia hæc censebitur tutior in tali casu, juxta illud commune dictum (& habetur can. *Duo mala.* & can. *Nervi. dist. 13.*) *Ex duobus malis minus est eligendum*, & tunc aliquis non peccabit eligendo minus malum.

## QUÆSTIO IV.

De Conscientia probabili, & an ipsam licitè sequi possimus?

37. **P**ræfens Quæstio est una ex utilissimis, imò & nobilissimis, quæ occurrunt in Tractatu de Actibus Humanis: quia verò ipsa ob sui nobilitatem, simulque copiam materiarum, longiori indiget discussione, ne ejus prolixitas pariat confusionem, expedit, ut eam in Paragraphos dividamus.

### §. I.

Quid sit Conscientia, & Opinio probabilis?

Conscientia  
probabilis,  
quid?

38. **C**ONCL. I. *Conscientia probabilis*, quæ etiam *opiativa* dicitur, est iudicium practicum intellectus, quo quis ex gravi, licet non penitus certo fundamento, assentit &

& adhæret uni parti determinatè, sed cum formidine de opposito. Ita in re communis. Differt imprimis à Conscientia *contra* seu *recta*, quòd hæc relinquat intellectum certum de una parte contradictionis; non autem Conscientia probabilis, utpote quæ habetur cum formidine de opposito. Differt etiam à Conscientia *dubia*, utpote quæ neutri parti determinatum præbet assensum, sed manet anceps ac suspensa intra utramq; contradictionis partem; non sic Conscientia probabilis, utpote quæ determinatè assentit uni parti ex fundamento probabili, licet cum formidine de opposito.

39. Dicitur noranter, licet cum formidine de opposito: nam cum illud fundamentum non sit omnino evidens, sed probabile tantum, potest ipsi subesse falsum. Cæterum per hanc formidinem de opposito tollitur quidem firmitas assensus, non autem eius determinatio: adhuc enim intellectus determinatè assentit uni parti, & quidem ex gravi fundamento, licet non adeò firmiter, prout fit in Conscientia recta. Quòd si verò intellectus in re morali formet iudicium circa honestatem, malitiam, aut indifferentiam actus, vel objecti, duntaxat ex levi, vel etiam nullo fundamento, ea non erit Conscientia probabilis, sed improbabilis & temeraria.

40. Quantum attinet ad alteram partem Quæstionis, necessario prorsus præmittendam, eò quòd Conscientia probabilis sequatur ad Opinionem probabilem, sicut assensus Conclusionis ad assensum Præmissarum; quænam in specie Opinio censeri debeat probabilis, prout secernitur ab improbabili, hoc opus, hic labor est: quot enim capita, tot sententiæ, & qui alicujus opinionis assertor est, illi veram probabilitatem assignat. Quinimò jamjam cruda illa quorundam assertio coepit in auribus prurire, quòd unius aut alterius Auctoris dictum fundet Opinionem probabilem. Sed quoniam hæc doctrina periculosa sanè fuit, non immeritò eandem Sedes Apostolica rejiciendam censuit, dum Alexander VII. inter alias Propositiones etiam hanc, ordine 27. damnavit: *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Hac itaque propositione dimissâ, sic

41. CONCL. II. *Opinio probabilis* generatim illa censetur, quæ gravi nititur fundamento, licet non penitus certo, si- mulque nullam contra se habet rationem convincentem. Ita communior modus loquendi Doctorum: neque dissentit Ari- store.

Est cum formidine de opposito

Diversitas sententiarum in judicando, quæ Opinio sit probabilis.

Opinio probabilis, quæ?

G store.

storeles *i. Top. cap. 1.* ubi ait : *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientibus omnibus, aut plurimis.* Præsertim autem ad hoc, ut Opinio censeri possit probabilis, requiritur, quòd non sit contra Sacram Scripturam, Definitionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, Traditiones Sanctorum Patrum, aut unanimum Doctorum consensum: nam Opinio in aliquo horum deficiens, non tam Opinio censeri debet, quàm Hæresis, vel Error, aut Temeritas.

Opinio probabilis probabilitate intrinseca, vel extrinseca, quid?

42. Cæterum quia grave illud fundamentum, cui Opinio probabilis innititur, duplex esse potest, intrinsecum videlicet, atque ex ipsa rei natura, effectibus & circumstantiis ipsius desumptum; & extrinsecum, nempe ex magna Doctorum eam tenentium auctoritate depromptum: hinc dupliciter poterit Opinio quædam operanti esse probabilis, scilicet vel probabilitate intrinsecâ, vel probabilitate saltem extrinsecâ. *Opinio probabilis probabilitate intrinsecâ* dicitur illa, cujus probabilitas habetur ex ratione; id est, ex principiis intrinsecis talis propositionis, qualia sunt causæ, vel effectus ipsius, aut definitio, vel circumstantiæ, aut quid simile. *Opinio probabilis probabilitate extrinsecâ* censetur ea, quæ habetur ab auctoritate; id est, à gravitate atque prudentia Doctorum eam tenentium; qualis potissimum habet locum respectu Idiotarum; & hominum minus peritorum, qui rationes intrinsecas examinare, atque de ipsis iudicium ferre non possunt: quibus proinde ad prudenter & rationaliter, sicque ad probabiliter operandum, sufficit, si à Viro docto, prudenti, piòque intelligant, hoc sibi licere. Quinimò etiam apud Virum doctum quandoque auctoritatem alicujus Doctoris valdè periti, & timorati conscientiæ, majoris esse ponderis, quàm esset ratio aliqua verisimilis cæteroquin ad probabilitatem sufficiens, inter alios notat Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. n. 8.* cum auctoritas tanti Doctoris, & qui rem mature examinasse, probèque intelligere censetur, non sit leve fundamentum.

Est alia magis, alia minus probabilis, & causa,

43. Insuper quia fundamentum illud, cui innititur Opinio probabilis, potest esse maius & minus, seu magis minusque grave; hinc sequitur, inter Opiniones probabiles dari latitudinem: Ex his enim alia est probabilior, quæ videlicet firmiori fulcitur fundamento, efficacioribusque firmatur rationibus; alia minus probabilis, quæ licet habeat fundamentum ad probabilitatem sufficiens, non tamen tam firmum, ut altera Opinio. Tutior autem Opi-

Opinio dicitur ea, in qua minus periculum peccandi reperitur: & potest bene accidere, quod Opinio aliqua sit tutior, non tamen probabilior, imò minus probabilis. Exemplum sit in ea Quaestione, an furripiens rem proximi in extrema necessitate, teneatur ad restitutionem, si ad pinquiores fortunam pervenerit: nam in hoc casu tutius erit restituere, quia restituendo nequit committi peccatum: nihilominus opposita sententia, negans obligationem restituendi, est probabilior, eò quod jure poli in extrema necessitate sint omnia communia.

44. Quæres, quid intelligatur per *Probabilitatem quantumvis tenuem*, de qua loquitur Propositio novissime damnata ab Innocentio XI. estque ordine 3. & sic sonat: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitate finibus non exeat, consisti aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Resp. I. Hæc Propositio damnatur à Pontifice, sicut jacet, prout in principio sui Decreti monet idem Pontifex: unde cum primis rejecta est sententia, quæ indefinitè, atque in omni casu & materia, licitam esse sequelam Opinionis probabilis asserit.

Per Probabilitatem quantumvis tenuem, quid intelligatur?

45. Resp. II. Quænam sit Opinio tenuiter probabilis, atque in citato Decreto damnata, variant Doctores. Et quidem Raymondus Lumbier tom. 3. *Summa*, à num. 1737. distinguit duplex genus Opinionum probabilium, eò quod aliæ sint certò probabiles, & aliæ sint probabiliter probabiles; & addit, per Opiniones tenuiter probabiles in citato Decreto intelligi eas, quæ solum sunt probabiliter probabiles: id ipsum sentit Emmanuel de Filguera in *Lucerna Decretali*, in *exposit. 3. Proposit. Innocentij XI.* Et hi Authores per Opinionem certò probabilem volunt intelligi eam, quæ est intrinseca ex fundamentis, quibus innititur; vel ex Doctoribus, si existat extrinseca, qui eam tuentur, imò & ex contrarijs eam probabilem vocantibus: unde talis Opinio certitudinem tribuit sive eam sequenti, sive consulenti; quòd sit probabilis. Probabilitas probabiliter talis duntaxat desumitur communiter ex paucis Doctoribus eam Opinioni tribuentibus, sed ab alijs plerumque probabilis non censetur: & addunt, quòd ejusmodi Opinioni probabiliter tali nefas sit adhærere, quia ex ea nequit aliquis prudenter certum dictamen concipere ad operandum, sed tantum dubium.

Sententia Raymundi Lumbier.

46. Econtrà Joannes de Cardenas, in *Crisi Theologica*, ad Propositionem III. Innocentij XI. cap. 5. n. 34. ait, quòd opinio tenuiter probabilis, quæque in dicto Decreto damnatur,

Sententia Joannis de Cardenas.

non sit ea, quæ est probabiliter probabilis ( qui enim format iudicium probabile de probabilitate Opinionis, non habet dubium practicum de illa, sed potius iudicium reflexum certum ) sed illa, quæ quamvis habeat probabilitatem apparentem, plures tamen Viri sapientes dubitant de eius probabilitate. Sive, ea ( inquit ) censetur opinio tenuiter probabilis, de cuius probabilitate merito dubitatur : unde Opinio tenuis probabilitatis in idem recidit, ac Opinio dubiæ probabilitatis ; quando autem dubitatur de probabilitate, intervenit dubium practicum, in quo tutior pars est amplectenda. Plura de his citatus Cardenas : nobis in progressu non est sermo de Opinionibus tenuiter duntaxat probabilibus.

## §. II.

An sit licitum sequi Sententiam probabilem etiam in concursu probabilioris & tutioris ?

Quæstiones  
aliae versan-  
tes circa ho-  
nestatem  
actûs, aliæ  
circa Ma-  
teriam fa-  
cti, quæ ?

47. **A**dvertendum, quòd quantum ad propositum, aliæ Quæ-  
stiones versentur circa honestatem actûs, quæ solet vo-  
cari *Materia juris* ; & aliæ circa naturam, conditionem  
seu validitatem actûs, quæ dici solet *Materia facti*, ut notat Ma-  
strius 2. *Sentent. disp. 5. n. 142. & in Theolog. Mor. disp. 1. num. 73. Quæ-  
stiones circa honestatem actûs versantes dicuntur illæ, in quibus quæ-  
ritur, an hæc vel illa actio sit licita & honesta, ita ut absque pec-  
cato fieri possit : puta, an vir sexagenarius teneatur ad jejunium  
Ecclesiasticum ? an Clericus voluntariè distractus sub recitatio-  
ne Horarum Canonicarum, satisfaciat ? an in die Festo licitum  
sit pingere ? ac huiusmodi. Quæstiones versantes circa validitatem,  
naturam, seu conditionem actûs hoc est, circa Materiam facti, cen-  
sentur illæ, in quibus de aliquo horum quæritur : puta, utrum  
Baptismus aquâ rosaceâ collatus sit validus ? utrum hæc, vel  
illa medicina sit infirmo profutura ? an hæc pars litigantium in  
Iudicio habeat justam causam ? in quarum prima quæritur de  
validitate actûs sive Baptismi, in secunda de natura seu virtute  
medicinæ, & in tertia de conditione causæ.*

Notabile  
discrimen  
inter utras-  
que.

48. Est autem inter Quæstiones prioris & posterioris generis,  
notabile discrimen : siquidem honestas actûs proximè dependet  
totaliter à prudenti iudicio operantis. cui si actus est conformis,  
hoc ipso bonus est ac honestus ; si difformis, malus. Ratio est : quia  
Con-

Conscientia est proxima regula actionum humanarum, per quam voluntati, quæ de se est potentia cæca, dicitur, quid sit agendum vel fugiendum: unde fit, quod si actus est conformis Conscientiæ practicæ rectæ, licet forsitan invincibiliter erranti, adhuc talis actus non sit formaliter peccatum, neque imputetur ad culpam.

49. Secus est de Quæstionibus posterioris generis, seu quæ versantur circa Materiam facti: etenim actus non desumit suam naturam, conditionem, aut validitatem ex judicio nostri intellectus, quantumvis prudenti, sed vel ex natura sua intrinseca, vel ex ordinatione aut institutione extrinseca alterius. Sic enim medicina, si à parte rei & ex intrinseca natura sua non est proficua, sed nociva, nil proderit infirmo, imò ipsum occidet, non obstante judicio probabili Medici, existimantis eam profuturam. Similiter causalitantis in Judicio non est justa ex eo, quia eam Judex probabiliter censet justam, sed quia ipsa à parte rei, & secundum Legum ordinationem talis est. Sic pariter Baptismus aquâ rosaceâ collatus non valebit ob probabile judicium Ministri, arbitrantis ipsum valiturum, si reverà talis non est ex institutione Christi. Et hinc non mirandum, quod diverso modo de his, ac de prioribus in progressu simus locuturi: nam sequendo Sententiam probabilem circa honestatem actus, nullum incurritur periculum alicujus peccati, vel alterius damni; secus accidit in Materia facti, ubi ex sequela Opinionis minus probabilis relictâ probabiliori ac tutiori, incurritur magnum periculum nocuenti in bonis animæ, corporis aut fortunæ, proximo inferendi, si forsitan à parte rei Opinio illa non subsisteret. His prænotatis sit

50. CONCL. I. Potest homo in rebus moralibus, & actionibus humanis, licitè sese conformare Conscientiæ seu Opinioni verè probabili. Hæc Conclusio sic absolutè prolata, ac præscindendo à quacunque probabilitate Opinionis oppositæ, est ferme omnium Theologorum, imò & Jurisperitorum, prout fatetur Prosper Fagnanus in cap. Ne innotaris, num. 45. de Constitutionibus. quamvis ipse postmodum contrariam sententiam teneat. Ratio est: quia, ut aliquis licitè & honestè operetur, sufficit, quod quis regulam rectæ rationis sequatur: sed hoc fit sequendo Sententiam verè probabilem; hæc etenim non ex levi, sed gravi fundamento authoritatis, vel rationis concipitur; ergo. Confirmatur: quia, cum in moralibus haberi semper non possit

Quod amplius de-  
trahitur.

Licitum est,  
in rebus  
moralibus  
sese conformare  
Conscientiæ  
verè probabili.

omnimoda certitudo per rei evidentiam, consequenter sufficit certitudo ex probabilibus desumpta, alioquin vix quidquam rectè ageretur, propter incertitudinem rerum practicarum. Hinc Alexander Papa VIII. die 7. Decembris, 1690. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 3. non immeritò damnavit: *Non licet sequi opinionem, vel inser probabiles probabilissimam.*

Frustra post  
factam in-  
quiritur sen-  
tentia pro-  
babilis.

§1. Obiicietamen. Judicium probabile propter formidinem, quam habet intrinsecùs infixam, non est certum; ergo neque potest habere moralem certitudinem, & consequenter neque esse regula recta nostrarum actionum. Resp. antecedens esse verum speculativè, non autem practicè; prout in simili dictum est supra n. 33. & seqq. de Dubio speculativo, & practico: hinc taliter distincto antecedente, negatur consequentia. Solum hic vitandus quorundam abusus, qui post actum jam perpetratum ad medendum remorsibus Conscientiæ suæ student Casibus, ut inveniant fundamenta & opiniones Doctorum probabiles, quæ suo desiderio faveant. Hoc enim (ut loquitur Herinex *disp. 4. de Conscientia, quæst. 3. n. 25.*) planè est medicinam sperare post mortem: nam attendendum est dictamen Conscientiæ antecedens, quod direxit operationem, non aliud subsequens, utpote, quod actum jam præteritum practicè nequaquam dirigit.

Ex propo-  
sitionibus  
æquè pro-  
babilibus,  
& circa ho-  
nestatem  
actûs ver-  
santibus,  
potest eligi  
quælibet  
pro libitu.

§2. CONCL. II. Insuper, quando duæ occurrunt Opiniones æquè probabiles circa honestatem actûs versantes, licitum erit eligere eam, quam quis maluerit. Ita communior Doctorum, præsertim Theologorum, contra Fagnanum *loc. cit. num. 121. & seqq.* Ratio desumitur tum ex dictis n. 50. Tum ex eo: quia quando utraque opinio est æquè probabilis (non enim repugnat, quòd intellectus humanus ex diversis principiis, atque rationibus hinc inde applicatis, judicet utramque contradictionis partem æquè probabilem) non est major ratio, cur quis unam potius sequi teneatur, quam alteram; ergo liberum erit eligere, quam maluerit. Nec obstat, quòd alterutra contradictionis pars à parte rei sit falsa. Quia hoc ipso, quòd ejus falsitas determinatè non cognoscatur, neque moraliter cognosci possit, eà etiam per errorem electà non violaretur formaliter præceptum aliquod, etsi materialiter contra illud ageretur; quòd stante ejusmodi Conscientiâ verè probabili, culpâ vacat ob rationes dictas.

Ind & Obi-  
cio verè

§3. CONCL. III. Loquendo de actibus quantum ad eorum honestatem spectatis, etiam in concursu probabilioris & tutio-

ris,

ris, licet potest eligi Opinio verè quidem, sed minùs probabilis, <sup>quidem?</sup>  
 minùsque tuta; quamvis hoc non semper expediat. Ita com- <sup>sed minùs</sup>  
 muniore Theologorum, præsertim Recentiorum, et si Canonistæ, <sup>probabilis,</sup>  
 atque non pauci alij teneant contrarium. Ratio est. Tum quia, <sup>relictâ pro-</sup>  
 qui juxta Opinionem verè probabilem operatur, non temerè, sed <sup>babiliori &</sup>  
 prudenter operatur; ergo non peccat, cum honestas actûs <sup>tuciori.</sup>  
 proximè dependeat à prudenti judicio operantis. Tum quia,  
 loquendo de actibus quantum ad eorum honestatem spectatis,  
 qui se conformat dictamini Conscientiæ verè probabilis, non ex-  
 ponit se ulli periculo inferendi aliquod nocumentum, sive sibi,  
 sive proximo, ex dictis n. 48. & seqq. Tum quia Summi quoque  
 Pontifices quandoque secuti sunt Opinionem probabilem, relictâ  
 probabiliori, actuciori, prout inter alios refert Bernardus San-  
 nig tom. 1. Schola Theologica, tract. 7. distinct. 5. q. 3. num. 7. rectè n. 4.  
 præmittens, hanc Sententiam non esse revocatam per novissi-  
 mum Decretum Innocentij XI. 2. Martij, 1679. emanatum.  
 Et hoc ipsum patet ex verbis citati Decreti; partim quia circa  
 initium ipsius Pontifex expressè declarat, se damnare proposi-  
 tiones ibi contentas, sicut jacent: partim quia prima & tertia  
 propositio, quæ ad propositum præ cæteris faciunt, loquuntur  
 generatim, atque etiam in Sacramentis, vel de Opinionibus,  
 quantumvis tenuis probabilitatis; quales absit defendere, ut supra n. 40.  
 & 44. & seqq. notatur.

54. Additur notanter in Conclusionem, *quamvis id non semper* <sup>Quamvis</sup>  
*expediat.* Tum quia non omnia, quæ licent, semper expediunt, <sup>id n. n sem-</sup>  
 juxta illud D. Apostoli 1. Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non om-* <sup>per expediat.</sup>  
*nia expediunt.* Tum quia, ut Doctor Subtilis in 3. dist. 25. q. 1. §. sed  
 hic occurrunt, rectè monet, *In moralibus quando sunt altercationes de*  
*aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat,*  
*quòd non licet sic mercari, & alius dicat, quòd licet, tutius est non procedere*  
*sic, nec sic, sed expectare, quousque veritas pateat.* Hæc ille, per ly, tu-  
 tius est, hanc partem optimè consulens. sed eam sub obligationis  
 vinculo non concludens. Adde etiam quòd præmissa Conclu- <sup>Neque lo-</sup>  
 sio locum habere non possit quoad propositiones circa Mysteria <sup>cum habeat</sup>  
 Fide Divinâ credenda formatas. Ratio huius est: quia Conclu- <sup>quoad pro-</sup>  
 sio solùm loquitur de propositionibus verè probabilibus: atqui <sup>positiones</sup>  
 circa Mysteria, quæ Fide Divinâ credenda sunt, propositio falsa in <sup>de Fide.</sup>  
 concursu alterius, jam cognitæ ut probabilioris, nunquam potest <sup>(c) Tract.</sup>  
 habere rationem propositionis verè probabilis; prout infra suo <sup>4 Dist. 2.</sup>  
 loco (c) dicetur. <sup>num. 30.</sup>



Confessari-  
us debet se  
conformare  
opinionem  
pœnitentis  
verè proba-  
bili.

55. CONCL. IV. Confessarius tenetur conformare se quo-  
ad Judicium Sacramentale opinioni pœnitentis, si ejus opinio  
verè probabilis sit, etiam contra propriam opinionem; & con-  
sequenter, si pœnitens bonâ fide sequatur sententiam, quæ à pro-  
batis Auctoribus tanquam tuta & probabilis defenditur. Confes-  
sarius verò eam speculative improbabilem censeat, tenetur is,  
deposito, ac relicto proprio judicio, beneficium absolutionis ei-  
dem impendere. Ita Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. n. 27. &*  
*seqq.* & communior Doctorum; & favet Scotus *4. dist. 15. q. 1. §.*  
*ex hoc dico.* volens, hoc observandum à Confessario in impo-  
nenda pœnitentia. Ratio est: quia auditâ Sacramentali Con-  
fessione, non potest Confessarius negare absolutionem pœni-  
tenti ritè disposito, nullumque peccati obicem ponenti: atqui  
pœnitens sequendo opinionem verè probabilem non peccat,  
ac proinde (nisi aliud obster) rectè est dispositus; ergo non po-  
test ipsi absolutio denegari. Hinc Layman *lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 10.*  
sic loquitur: *Reprehendenda est quorundam Confessariorum consuetudo,*  
*qui veriti pœnitentem contra propriam Sententiam absolvere, eundem ad*  
*aliud Confessarium ablegant, qui oppositam opinionem probabilem tenet:*  
*si enim ille alter absolvere potest, cur non & tu possis? aut cur tua specula-*  
*tiva persuasio pœnitenti obesse debeat?*

Præmissa  
doctrina  
non habet  
locum in  
Quæstioni-  
bus circa  
Materiam  
facti ver-  
sanibus.

56. CONCL. V. Etsi in Quæstionibus de honestate actûs  
præmissa doctrina locum habeat, aliter tamen est discurren-  
dum loquendo de Materia facti, & quantum attinet ad Quæstio-  
nes de natura, conditione, aut valore actûs, prout inter alia sua-  
det diversitas utriusque supra *num. 48. & 49.* insinuata. Dicen-  
dum proinde cum communissima, & receptissima Doctorum  
sententia (quidquid unus, vel alter frustra reclamet) in Materia  
facti non esse licitum, sequi Sententiam minùs probabilem mi-  
nùsque tutam in concursu probabilioris ac tutioris. Ratio est:  
quia nemo potest extra casum necessitatis tutò, ac licitè sese ex-  
ponere gravi periculo inferendi magnum damnum proximo:  
atqui in Materia facti sequens opinionem minùs probabilem in  
concorso probabilioris ac tutioris, exponeret se gravi periculo  
inferendi magnum damnum proximo, & quidem extra casum  
necessitatis, utpote cum juxta hypothesin tali periculo facilè  
possit occurrere eligendo opinionem probabilioris & tutio-  
rem; ergo id non licet. Major patet ex præcepto Charitatis  
de diligendo proximo, sicut seipsum. Minor probatur indu-  
ctione. Sic enim Sacerdos in administratione Sacramentorum  
ad-

adhibens materiam vel formam dubiam, minusque probabilem & tutam, cum possit adhibere certam aut tutiorem, exponeret sine ulla prorsus necessitate non solum periculo invaliditatis ipsum Sacramentum, sed etiam recipientem periculo non habendi fructum Sacramenti, cum dispendio æternæ salutis, si fortè sua Sententia minus probabilis à parte rei falsa esset. Similiter Medicus adhibendo medicamina minus tuta, probabilioribus ac tutioribus, quæ possit adhibere, relictis, ponit infirmum in periculo perdendæ sanitatis, aut etiam vitæ, cum irreparabili damno. Item Judex, adjudicans causam parti minus probabilem sententiam habenti in Jure, exponeret se periculo inferendi grave damnum in bonis fortunæ alteri parti litigantium probabilioribus sententiam habenti. Siquidem ad evitanda ista damna proximo impendentia, nihil prorsus juvat probabile judicium operantis.

§. III.

Inferuntur corollaria de Ministro Sacramentorum,  
Medico, Judice, Advocato.

57. **Q**uantum igitur attinet in primis ad Ministrum Sacramentorum, sunt eidem observandæ, ac præ oculis jugiter habendæ, tres illæ aureæ Regulæ, quas Doctor Subtilis in 4. dist. 3. q. 2. §. Tertiò de forma. §. Circa istum, adducit, & sequuntur alij communiter. Prima est: Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda: Si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda. Tertia est ista: Cessante possibilitate causæ est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. Unde Baptismus v. g. in materia, vel forma dubia collatus, denuò sub conditione iterandus est, ut dicitur in Jure Canonico c. De quibus. de Baptismo.

Tres aureæ  
Regulæ  
à Mini-  
stro Sacra-  
mentorum  
observandæ

58. Unde jure merito novissimè ab Innocentio XI. damnata est, & tanquam scandalosa, & in praxi perniciose prohibita sequens Propositio. ordine 1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis. Hæc, inquam, Propositio est damnata; ac proinde hætenus dicta, præsertim circa materiam Sacramentorum, magis confirmantur.

Non licet  
sequi Opini-  
onem  
probabilem  
de valore  
Sacramen-  
ti, relictâ  
tutioris.

Diſtæ Re-  
gulæ Scori  
etiam ob-  
ſervanda à  
Medico, &  
Iudice.

59. Licet autem ſuprà dictas tres Regulas Doctor noſter ex profeſſo tradiderit obſervandas circa Sacramentorum materiam & formam ab eorum Miniſtro, ceu ſpiritali Medico animæ: oportet nihilominus eaſdem (ſervatâ tamen proportione) etiam obſervari à vero Medico in curandis ægri tudinibus hominis, atque etiam à Iudice in ferendis ſententiis.

Quid obſer-  
vandum à  
Medico in  
curando in-  
firmo?

60. Quantum igitur attinet ad Medicum, notant commu- niter Doctores, Medicum in curando infirmo debere ſequi ſen- tentias certas, ſi adſint, relictis incertis ac dubiis. Hinc, ut no- tat Layman *loc. cit. num. 15.* citans plures alios, eſi probabilis opi- nio ſit, medicamentum infirmo profuturum eſſe, non idcò ſe- quitur probabile eſſe, quòd liceat Medico, tale medicamentum dubium adhibere: quin potiùs, cum agatur de periculo cor- poris, ſecurior via eſt eligenda. Quare Medici, & Chyrurgi, de- bent ſequi ſententias certas & ſecuras, ſi ſuppetant, rejeclis in- certis ac dubiis: graviterque peccat Medicus, ſi experiendi tantum cauſâ inexplorata medicamenta certis dimiſſis infirmo adhibeat, ejuſque ſanitatẽ & vitam hac ratione gravi periculo exponat. Quòd ſi certa curatio non occurrat, tenetur Medi- cus ſectari ea, quæ probabiliora iudicat, poſthabitis opini- onibus minùs probabilibus. Si verò nulla medicamenta ſup- petant niſi dubia & periculofa, tunc prudenter examinandum erit, hinc quidem vis ac periculum morbi, illinc verò tam ſpes ſanandi, quàm timor & periculum nocendi: & quidem ſi Me- dicus intelligat, certò moriturum infirmum, niſi medicamen- tum adhibeatur, non carens quidem periculo accelerandæ mor- tis, iunctum tamen cum probabili ſpe conferendæ ſanitatis, ad- hibere poterit.

Quid agen-  
dum iudici  
in iudican-  
do?

61. Quantum tandem attinet ad Iudicem, etiam commu- niter notant Doctores, quòd Iudex teneatur iudicare ſecundum ſententiam, quæ inſpectis allegationibus & probationibus pro- babilior eſt, Jurique conformior: nam Iudicis officium eſt, par- tibus litigantibus ſententiam dicere ſecundum merita cauſæ. Unde cavenda eſt doctrina nonnullorum Theologorum, olim volentium, ſi circa propositam controverſiam contrariæ ſint opiniones probabiles de jure, poſſe Iudicem relictâ probabilio- re iudicare ſecundum alteram minùs probabilem. Quinimò hæc ſententia modò eſt e- preſſè rejeclta ab Innocentio XI. qui damnavit ſequentem, ordine 2. Propositionem; *Probabiliter*

*exiſti-*

existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

62. Similiter cavenda est illa nonnullorum Theologorum sententia, qui volebant, quando utraque opinio est æque probabilis, integrum esse Judici, quam maluerit opinionem eligere, & secundum eam judicare, imò cessante scandalo nunc secundum unam, nunc secundum aliam. Cavendum, inquam, est ab hujusmodi sententia: quis enim non videat, ab æquitate alienum esse, si duo æquale jus habent, Judicem, quem oportet esse Juris Interpretem, Justitiæque Administrum, uni eorum totum adjudicare, alteri abjudicare? Unde non immeritò Alexander VII. inter alias etiam sequentem, ordine 26. Propositionem damnavit. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.* Igitur in tali casu, si post causæ accuratam discussionem neutra litigantium pars, inspectis allegatis, de factò, aut de jure superare videatur, debet Judex vel arbitros partium consensu statuere, vel compositionem suadere, imò etiam imperare, si casus nimium sit intricatus, causaque diutius iam protracta; vel demique cuilibet dimidium juris, aut rei, de qua lis est, adjudicare.

Præsertim quando litigantes habent pro se Opiniones æque probabiles?

63. Quæres, An id, quòd proximè de Judice dictum est, similiter de Advocato sit sentiendum? Resp. negativè, prout tenet communior Doctorum, præter Fagnanum *loc. cit. n. 381, 387. ac seqq.* & quosdam alios. Ratio est: quia Advocati officium non est, definire, sive jus dicere inter partes contendentes, sed uni parti litigantium assistere, atque patrocinium afferre: cum igitur, quotiescunque causa dubia seu controversa est, permittatur parti licet cum adversario contestari, atque propositis juribus & rationibus suis sententiam Judicis dirimentis exspectare; consequenter, si Advocatus causam clientuli non manifestè inquam, sed probabilem judicet, licitè ejus patrocinium suscipit etli causam adversarij probabiliorè, & faciliùs obtinendam arbitretur. Imò fieri potest, atque nonnunquam solet, ut pars illa, quæ à principio minus probabilis apparebat, in progressu litis probabilior evadat.

Quid dicendum de Advocatis?

64. Notant tamen Doctores, quòd Advocatus, causam dubiam suscipiens, ad aliqua sit obligatus. Et primò quidem, ut ante omnia diligenter inspiciat causæ sibi propositæ æquitatem, aut probabilitatem; & si injustam comperiat, nullo modo eus

Quædam obligationes Advocatorum.



stratione. dantur Opiniones probabiles, quas licebit & expediet sequi in casu necessitatis, & quando Opinio probabilior hic & nunc praticari nequit, juxta tres illas aureas Regulas supra n. 57. ex Doctore Subtili allatas.

67. Objicies II. contra dicta n. 63. Judex tenetur ex officio ferre sententiam pro parte probabiliori; ergo & Advocatus poterit solum defendere causam magis probabilem: alioquin enim defendendo causam minus probabilem, induceret judicem ad aliquid iniquum, nempe ad ferendam sententiam, quam is licite ferre non posset. Resp. negando consequentiam, & paritatem: quia judicis officium est definire, ac jus dicere inter partes litigantes; sicque causam rite prius discussam tenetur ex officio pro parte probabiliori stare, sententiamque ferre. Secus dicendum de Advocato, cujus officium non est definire, atque jus inter partes dicere: sed tantum parti uni assistere, atque (sub positis jam cautelis) patrocinium ferre, donec lis per diffinitivam Judicis sententiam fuerit decisa. Neque idcirco Advocatus censetur inducere Judicem ad aliquid iniquum: nam solum conatur ostendere partem sui clientuli (prout nonnunquam in progressu litis apparet) esse veriore, sive probabilior; non autem vult, ut stante minori probabilitate talis causae, pro ea feratur sententia diffinitiva.

68. Urgebis. Cujus causa existit minus probabilis, non potest alteri bellum inferre; ergo neque litem judicalem ipsi movere, & consequenter neque Advocatus tali causae patrocinari. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Siquidem per litem judicialiter motam fit solum inquisitio veritatis, utri parti revera plus juris competat: simulque hujus decisio relinquitur Judici, cujus est, utriusque partis fundamenta penitus expendere, ac postea litem sententia diffinitiva decidere. Econtra illatio belli, est ipsamet sententiae executio; unde supponit, sententiam esse latam, vel saltem debere ferri in favorem ejus, qui bellum infert: cujus autem jus est minus probabile, non debet sententia pro illo, sed potius contra illum ferri, ac proinde is alteri bellum licite inferre non potest.

## QUÆSTIO V.

De Conscientia scrupulosa, ejusque signis, &amp; remedijs contra scrupulos.

Conscientia 69.  
scrupulosa,  
& scrupulus  
quid?

**C**onscientia scrupulosa dicitur talis à *Scrupulis*. Porro *Scrupulus* est inanis apprehensio, & hinc ortus timor atque anxietas, alicubi esse peccatum, ubi reverà non est. Unde *Conscientia scrupulosa* importat inanem apprehensionem ex frivolis ortam rationibus, qua quis suspicatur aliquid esse peccatum, quod non est.

Signa Con-  
scientiæ  
scrupulosæ  
quæ?

70: Signa autem scrupulosæ Conscientiæ sunt potissimum sequentia. I. Pertinacia judicii, qua scrupulosi homines Doctoris, aut sui Confessarii consiliis non acquiescunt: unde varios consulunt & fatigant, & tamen nullius judicio stant, nisi suo. II. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconstantia, v. g. in Horis Canonicis aliquando decies mutant judicium, nura hunc vel illum Versiculum dixerint; imò nonnunquam contra proprium judicium, quòd tale quid agere non sit peccatum, adhuc sunt inquieti, timèntque, ne fortè peccent, vel peccaverint. III. Perturbatè agere, & cæco quodam modo in externis actionibus procedere; & hoc quidem malum ex prioribus descendit. IV. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumstantiarum. V. Timere in omnibus peccatum, & contra Sapientum, imò & contra proprium judicium esse inquietum. His accedit ultimum Conscientiæ scrupulosæ signum, si nempe Confessarius judicat, talem esse scrupulosum, juxta hætenus dicta. In particulari autem signa Scrupuli, hîc & nunc præsentis, sunt sequentia duo in primis, si per illum experiaris te nimium angî, & turbari. Deinde si aliàs expertus sis, te simili apprehendisse sine fundamento. Ita discurrat inter alios Hermannus Busenbaum, in *Medulla Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 3.*

Quæ sit ori-  
go Scrupu-  
lorum?

71. Quæritur I. Quæ sit origo Conscientiæ scrupulosæ, & Scrupulorum? Resp. cum Doctoribus passim, origines & causas Scrupulorum esse potissimum sequentes. I. Est ignorantia: qui enim ignorantes sunt, quibusvis facîle moventur, ac decipiuntur. II. Cerebrj, & imaginationis debilitas. III. Comple-  
xio

-300

xio frigida, & melancholica. IV. Immoderatus, & indiscretus fervor. V. Nimiustimor servilis; hic enim animam tremulam, & trepidantem facit. VI. Consuetudo, seu conversatio cum Scrupulosis. VII. Tentatio diabolica. Et tandem VIII. causa Scrupulorum, est permissio Dei, qui quandoque singulari sua providentiâ superbiam nostram à Scrupulis depasci permittit, vel in fornace Scrupulorum nos purgat, nostramque fidelitatem probat.

72. Quæritur II. An sit licitum operari contra Conscientiam scrupulosam? Resp. cum communi Doctorum, affirmative. Ratio est clara: quia Conscientia scrupulosa nititur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus judicium est imperfectum atque imprudens; ergo licitè ac laudabiliter ipsi resistitur. An sit licitum operari contra Conscientiam scrupulosam?

73. Nec dicatur I. cum Scrupulosis. Juxta illud commune dictum: *In dubijs tutior pars est eligenda*; ergo. Resp. enim, axioma istud loqui de Dubio propriè dicto, non autem de mero acinani Scrupulo, qui importat inanem suspicionem ex levibus causis ortam, qua quis putat esse peccatum, quod reverà non est. Porro quomodo vulgatum hoc axioma sit intelligendum, habetur superius *num. 35.* Solvitur objectio Scrupulorum.

74. Nec dicatur II. Ad licitè operandum necessariò requiritur judicium intellectûs saltem probabile de honestate operis; atqui stante Scrupulo deest tale judicium intellectûs; ergo eo stante non est licitum operari contra Scrupulum. Resp. quippe negando minorem: nam Scrupulus verus, quantumcunque urgeat, minimè tollit assensum partis contrariæ, seu judicium intellectûs de ipso; quòd si verò tollat determinatum assensum alterius partis, jam non erit amplius Scrupulus, sed verum Dubium, ut rectè notat Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 10. n. 80.* ac proinde cum ipsa procedendum foret juxta dicta superius *Quest. 3.* Unde cum Conscientia scrupulosa facilè transire possit in Conscientiam vincibiliter erroneam, vel dubiam, colligere licet, quàm miser & periculosus sit itatus hominis verè scrupulosi. Alia Scrupulorum instantia diluitur.

75. Nec dicatur III. Secundùm illud D. Gregorij, ac referatur can. 4. dist. 5. *Bonarum mentium est ibi culpam timere, ubi culpa non est.* Et illud Proverb. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus, & alibi;* ergo benè fit, si quis est scrupulosus. Resp. enim negando consequentiam: huiusmodi siquidem auctoritates loquuntur de Conscientia timorata vera, & rationabili; non autem de Conscientia. Explicantur quaedam auctoritates.



scientia inaniter scrupulosa, & plurimum cor affligente. Sed occasione hujus

Discrimen  
inter Timoratos  
timore Dei, &  
inter Scrupulosos,  
quale?

76. Quæritur ulterius, quale sit discrimen inter Timoratos timore Dei, & inter Scrupulosos? Resp. cum Petro Marchantio *tom. 1. Tribunalis, tract. 5. tit. 6. quest. 2.* & alijs, plures passim assignari differentias; cæteris tamen clarior est ea, quæ defumitur ab effectibus. Effectus enim Timoris Dei in timoratis, sunt puritas & firmitas cordis, vigilantia & sollicitudo sine anxietate, apprehensio mali sine turbatione, pœnitentia cum spe & amore conservandæ justitiæ, & injustitiæ vindicandæ propter Deum omnis justitiæ Fontem. Hinc Timorati timore Divino, ob a morem Dei atque observantiam mandatorum ipsius, etiam verbum otiosum refugiunt; simulque imperturbati, stabiles & constantes incedunt viam mandatorum Dei, & cum cordis tranquillitate custodia suæ invigilant, atque absque turbatione ad Deum suspirant.

Mala scrupulorum.

77. Econtrà verò res se habet in Scrupulosis: primò enim timor Scrupulorum plenus est impuritate atque inconstantia mentis. Deinde tantùm abest, ut Scrupulosi in sollicitudinem alacrem ac vigilantiam cordis exeant, ut potius in anxietatem, pusillanimitatem, tepiditatem, ac tædium omnis boni devolvantur: simulque apprehensio mali fit in ipsis cum turbatione totius hominis, ita ut nec seiplos capiant, imò quodam mentis delirio fatiscant. Omittuntur alia plura discrimina, & mala Conscientiæ scrupulosæ.

Remedia  
contra scrupulos,  
quæ?

78. Quæritur ultimò, Quænam sint remedia contra Scrupulos? Resp. Inprimis saluberrimum contra Scrupulos remedium esse, Scrupulos contemnere: cum enim hi ex frivolis concipiuntur rationibus, hinc tali inanitate perpensâ, jure merito contemnuntur, & licetè contra eos quis operatur. Quia tamen Scrupulosus non semper semetipsum juvare potest, tunc alterum utilissimum remedium est ut Scrupulosus deposito proprio judicio, & non obstantibus suis rationibus, per omnia se submittat judicio, & verbo pii ac prudentis Viri, aut Confessarii; cum manifestum sit, Deum non plus exigere à tali persona affecta. Confessarius autem sit in suis responsionibus resolutus, & ne scrupulus scrupulo inducatur, abstinendum est à multis discursibus & probationibus, cum in illis frequenter non desit materia novorum scrupulorum; sed urgendus est Scrupulosus, ut simpliciter credat Confessario. Et hæc duo sunt præcipua

qua remedia contra scrupulos, quamvis plura alia à Doctoribus afferantur.

79. Cæteris tamen dimissis, consulit Vasquez 1. 2. disp. 67. cap. 2. Consilium loquendo de illis Scrupulosis, qui simul conscientia suæ curam habent, quod Confessarius, si semel cognoscat talem scrupulis agitari, et tale consilium præbeat; suadeatque, ut nihil putet esse mortale, nisi quod manifestè & absque formidine videatur ipsi esse mortale. Imò verò interdum potest aliquis adeò esse scrupulosus, ut nisi jurare possit, illud esse mortale, credere non debeat mortale esse.

80. Difficilius remedium adhibetur illis Scrupulosis, qui sunt nimium scrupulosi circa præterita peccata, de futuris autem parùm sunt solliciti. Præcipuum autem remedium pro talibus esse solet, ut frequenter ad sacramentum Confessionis accedant, sicque cautiore efficiantur in cavendis futuris peccatis; de cætero autem remedijs supra dictis utantur. Porro si aliqui verè judicentur scrupulosi, etiamsi non sint adeò cauti in evitandis futuris peccatis, non est cum illis ita severè agendum, sicut cum alijs, qui scrupulosi non sunt: quamvis simul attendere debeant Scrupulosi, ne manifestè declinent ad alterum extremum, & prætextu scrupulorum evitandorum nimiam sibi licentiam usurpent; & interdum pro scrupulis vera, & manifestè recta conscientia dictamina contemnant, magnas trabes festucas reputent, & quasi pulces camelos deglutiant. Unde in hisce scrupulis curandis Confessarius magnâ consideratione statûs Pœnitentis, prudentiâ, atque discretione procedere debet.



I TRA-